

29

DISPUTATIO
THEOLOGICA,
DE
CATHOLICISMO
ECCLESIAE;
QUAM

In Virtute Capitis Ecclesiae Jesu Christi

SUB PÆSIDIO

Celeberrimi & Clarissimi Viri,

D. JOHANNIS VALCKENIER,

SS. Theologiæ Doct. ejusdemque Facultatis in
Illustri Frisiorum Academia quæ est Franekeræ Pro-
fessoris Ordinarii: Præceptoris Venerandi,

Publicæ ventilationi committit

STEPHANUS T. ESZEKI,
Szathmariâ Ungarus.

Die Maji loco horisque consuetis.



FRANEKERÆ,

Ex Officina JOHANNIS WELLENS, Illustr. Fris. Ordin.
& eorundem Acad. Typogr. Ordinarii. 1664.

105 190

Amplissimis & Florentissimis
Hungariæ Superioris
QUINQUE ECCLESIIS:
SZATHMARINÆ, RIVULINÆ,
SZ. NEMETHINÆ, S. PATAKINÆ,
BEREGH-SZASZINÆ:


in iisque admodum Reverendis, & Clarissimis Viris,
Verbi divini Ministris & Dispensatoribus fidelissi-
mis piissimis, Orthodoxam & Evangelicam S. Apostolorum
fidem cum gaudio amplexantibus, sanctè credentibus, unio-
nem cum Christo Capite, Communionem cum omnibus San-
ctis piè Colentibus: Vitæ Doctrinæ Fervoris in fide bene-
ficentiæ, pietatis & integritatis Candore Eximiis: San-
ctam Militiam in Fide & Constantiâ Militantibus: Errores &
omnem Hæresim Aversantibus: vitæ castitate, immaculatam
Sponsam Ecclesiam Catholicam, unico Sponso Jesu Christo
conservare Gaudentibus: Fidelibus Dei: Electis & Vocatis
Sanctis: Dominis & Patribus in Christo Venerandis.

Egregio & Nobilissimo Juveni Viro,
D. STEPHANO KEOSZEGHI.

Magni Parentis, Ejusdem Nominis: quondam Inclytæ Sza-
thmár, Reipublicæ Iudicis Primarii: Ecclesiarum & Ecclesiasti-
corum, Scholarum & Scholasticorum Amatoris & Promotoris
verè Cordati: nunc autem in Domino piè quiescentis, Hæ-
redi Ingenuo: in virtutibus Nobil. Parentis in dies Vire-
scenti: Domino, Fautori & Benevolo de me semper benè
merito.

*Hoc Exercitium Academicum; ut & se-
totum D. P. Q. offert*


STEPHANUS T. ESZEKI, Szathmáriâ Ung.
A. & R.



D E

Catholicismo Ecclesiae.

T H E S I S I.



Ecclesiae nomen ὁπὸ τῆ ἐκκαλέν ab evocando quasi Coetus evocatus: quemadmodum Latinum *Concio* à Conciendo id est congregando vel convocando quasi convocatio: quamvis sumatur aliquando *Lausimè* pro quovis conventu & congregatione, etiam hominum sceleratissimorum & quorumvis ut Act. 7. 38. & 19. 32. Psal. 26. 5. quæ tamen Ecclesia tamdiu durat quamdiu conventus est integer, quo dissoluto, erit nulla; quia ejus forma in congregatione consistit. Aliquando *Latè* pro collectione fidelium Act. 20. 28. Quæ soli Deo est cognita: aliquando *Strictè* pro cœtu aliquo particulari: quo sensu Scriptura describit eam in similitudine *agri*, *sagenæ* &c. Aliquando *strictissimè*, pro Pastoribus, Senioribus, Ecclesiam repræsentantibus Matth. 18. 17. frequentissima tamen & rei naturæ convenientissima est significatio, quâ nomine Ecclesiae denotatur societas hominum fidem eandem in Christum profitentium & credentium, ex universo genere humano collecta & per ministerium verbi evocata cujus finis est syncerus Dei cultus & glorificatio eorum in cœlis: quo sensu etiam Lxx. in V.T. Deut.

Deut. 23. 1, 2, 3. Judic. 20. 2. Psalm. 22. 23. & sæpius, usurpavêre; clarius tamen hoc ex N. T. constat Matt. 16. 18. Ephes. 1. 22. & 5. 23, 24, 25. Apoc. 4. v. 5. & passim. Atque sic forma Ecclesiæ non constituitur in congregatione visibili: nam sive in uno loco sit congregata, sive in diversis segregata; sive collecta; sive dimissa; neutiquam tamen dissolvitur, sed suis commissuris ac vinculis compacta manet. Conf. Col. 1. 18, 24. 1. Cor. 1. 2. cum Ephes. 2. 20. & 4. 16. Hinc Ecclesia quod ad rem significatam hoc modo potest describi: quod sit *Cœtus hominum, quos Deus è naturali ipsorum statu, ad supernaturalem dignitatem filiorum Dei gratiosè evocatos in perpetuum sub Dominio unius & solius Jesu Christi, tanquam unum Corpus Mysticum fide sibi unitum, in veritate, fide & charitate mutuâ inter se, præservat, gloriose gubernat & regit.*

I I.

Ad homines restringitur iste Cœtus: quoniam Angeli boni quamvis aliqua ratione ad Ecclesiam pertineant propter unionem illam quam habent cum Christo & conservationis gratiam ab illo communicatam; non sunt tamen Ecclesiæ redemptæ membra homogenea Amel. lib. 1. Med. cap. 31. §. 10. dicendi ergo Angeli Concives potius Ecclesiæ quam membra; amici Christi Sponsæ; non sponsa: filii Dei ratione Creationis & præservantiæ: non redemptionis, vocationis & adoptionis: sub esse Christo potius quam inesse: cum Ecclesia ita subsit Christo ut etiam insit tanquam vivus palmes in vite Joh. 15. 5. & corpus capiti suo arctissimè unitum Ephes. 1. 23. &c. Quicquid sit de eo nunc non inquirō; dicimus tamen propriè ad Ecclesiam pertinere Sanctos V. & N. T. jam in Cœlis gloriosâ & æternâ beatitudinis fruitione coronatos, sub Capite Jesu Christo gloriose triumphantes Hebr. 12, 13. Col. 1. 20. Ephes. 2. 19. Apoc. 4. 8. & 5. 8. & 7. 9. item fideles in hoc mundo contra omnes adversitates Satanam, Mundum, Caruem & omnem Hæresim militantes Ephes. 6. 12. cujus insignis est descriptio Apoc. 12. in muliere parvu-

29

parturiente & persecutionem à Dracone patiente : ita ut hinc excludamus omnes Reprobos, Infideles, Hæreticos pertinaces, scientes nullam esse communionem luci cum tenebris: Christo cum Belial: Regno Christi cum regno Diaboli: quamvis in Ecclesia particulari, visibili mixtim esse bonos cum malis & malos cum bonis certum sit Matth. 25. 32. & multos esse in Ecclesia qui non sunt ex Ecclesia. Atquæ huc referendæ insignes illæ descriptiones Apostolicæ, cum Ecclesia vocatur *universitas redemptorum per sanguinem Christi* Act. 20. 28. Ephes. 5. 25, 26, 27. *Genus electum: gens Sancta: populus sanctus &c.* item *Vivi lapides in Angulari illo Jesu Christo adificati* 1. Pet. 5. 9.

I I I.

Neque etiam irrationabiliter additur in descriptione nomen *Vocatos*: quamvis enim omnes & solos Electos constituamus vera Ecclesiæ Catholicæ membra; non tamen tam indefinite loquimur, quin non requiramus in iis qui sunt membra Ecclesiæ Catholicæ vocationem internam efficacem: hoc enim est unicum illud discrimen, inter eos qui sunt Christi, & qui sunt ex mundo, vel adhuc in mundo: novimus etiam multorum exempla quibus vel in ætate juvenili ut Paulo Act. 9. vel in ætate virili ut Eunuchò Act. 8. vel indiscriminatim multis ut Act. 2. & 16. 31, 34. vel etiam in ultimo vitæ spiritu ut latroni cum Christo pendenti Matth. 27. hæc contigerit. Huc etiam pertinet illud 1. Cor. 6. 11. Ephes. 2. 2, 5, 12, 13. & 5. 8. *Eratis olim tenebra nunc autem lux in Domino.* Atque huc facit Ecclesiæ Ministerium quod Deus ordinarium colligendæ Ecclesiæ instituit medium: ut per verbum auditum tanquam semen Ecclesiæ propagandæ in cor honestum & bonum illapsum, Spiritus Sanctus generet fidem, quæ fructum ferat per patientiam Luc. 8. Rom. 20. Hinc tituli illi: *Vocatio secundum propositum.* Rom. 8. & per appropriationem quandam *Vocatio superna.* Phil. 3. 14. *Cælestis* Hebr. 3. 1. *Sancta* 2. Tim. 1. 9. Non ta-

men exinde negamus, quando & in quibus Deo ita placuerit immediatè, modo extraordinario, posse Spir. Sanctum operari fidem & vocare internè: ut in infantibus (quamvis in iis qualis illa sit, an & quomodo operetur ille solus novit qui dedit) item multis, qui extra lumen Evangelii vivunt, manifestum est: nisi iis omnibus salus derogetur. Neglectum tamen verbi, cum sit occasio, dicimus signum exclusi ab Ecclesia Hebr. 10. 27. Judæ 5. 19. Matth. 10. 14. 15. Luc. 10. 16. Hinc dicitur Ecclesia ut ædificium congruenter coagmentatum crescere, ut sit templum sanctum Domino Eph. 2. 21. Hinc Corpus congruenter coagmentatum & compactum ex vi intus agente, pro mensura cujusque membri Eph. 4. 16. augescere in Dei augmento Col. 2. 19. adulescere in Capite Jesu Christo Eph. 4. 15. ut sit *σῶμα ἐν τῷ χριστῷ*. Eph. 3. 6. cujus ipse Christus est *πλήρωμα, πληρωμὸν πάντων ἐν πᾶσι*. Eph. 1. 23. Et hæc est illa mystici hujus Corporis cum suo Capite mystico unio & conjunctio, per quam Ecclesia est id quod est, & à reliquis omnibus distinguitur: quæ constituit Ecclesiam invisibilem: non enim hominum mortalium mentibus multo minus oculis vel Dei electio, vel arcana hæc & mystica unio est conspicua & evidens 2. Tim. 2. 19. 1. Cor. 2. 11. Rom. 11. 33. Quamvis ipsa membra, ut homines corporei, dum in terris sunt, sint visibiles in Ecclesiis particularibus: quæ ministerio Angelorum congregabuntur ultimo illo die, ut sistantur à dextris Christo, & tum erit Ecclesia illa Catholica visibilis Matth. 25. 32, 33. Eph. 1. 10. 1. Thess. 4. 16, 17. Qualis autem illa sit unio mystici hujus Corporis cum Capite suo, intellectus creatus exactè assequi non potest. 1. Pet. 1. 12. adeoque cum reverentia, ex Scriptura tenenda & humili fide, credenda, potius; quam modo illi indebito curiose examinanda. Scimus eam in eo consistere, quod membra corporis mystici fide vera Capiti suo adhæreant, in eo solo, tanquam omnium Corpori necessariorum fideli & potenti largitori ac quiescant: interea tamen in mutua charitatis officiis sese ædificant, adeoque

deoque cum dulci congratulatione in secundis, & patienti condolentiâ in adversis, ad nutum Capitis sese componant. Atque hinc est illud Christi Regimen spirituale in Ecclesia, quod nulli in terris concedit usque dum ipse maneat Rex in cœlis; de quo infra.

I V.

Atque hæc est quam credimus & confitemur in Symbolo Apostolico Ecclesia *Una, Sancta, Catholica*. *Vna* ratione *Capitis* Ephes. 1. 22. Col. 1. 18. *Corporis, spiritus, fidei*, Ephes. 4. 3. 4. 5. *Mentis & sententia* 1. Cor. 1. 10. *Communione*, cum Christo Ephes. 1. 23. & 2. 21. & 4. 12. 13. Hinc dicitur una *Columba, sponsa* Cant. 1. 15. & 2. 14. & 6. 6. *Sancta per Electionem & Vocationem* Ephes. 1. 3, 5, 6. & 5. 26, 27. *mundationem sanguine Jesu Christi* Ephes. 1. 7. Col. 1. 14, 15, 16. *Sanctificationem* 1. Thess. 4. 3, 7. & 5. 23. Quæ incipit hic & consumabitur in vita futura Phil. 3. 20, 21. Ephes. 2. 19. *Catholica* ratione *Temporum*: non enim uni ætati est alligata; sed omnibus seculis ab initio, ad finem 1. Joh. 1. 1, 3. Hebr. 13. 8. Mat. 28. 20. *Locorum*: non enim modo terminis tantum Judææ includitur, quemadmodum in V. T. sed in omni loco veri adoratores adorant Deum in spiritu & veritate Joh. 4. 21. 23. *Missi Apostoli in universum mundum* Mat. 28. Mar. 16. *Personarum*: non enim uni Genti ut olim Judaicæ; sed cuiusvis hominum ordini Euangelium annuntiatur: nullum est discrimen inter Judæum & Græcum Rom. 10. 12. sed ex omni Tribu, Natione Apoc. 5. 9. accepti, sunt Domino Act. 10. 35. neque est Gens tam barbara, ex qua negandum sit hanc Ecclesiam colligi Rom. 15. 8, 9, 12. Eph. 2. 15. & 3. 6. neque gradus & ordo hominum, tam vilis & abjectus, qui propterea hinc excludi debeat: unde Apostolus: *Et sapientibus & insipientibus debitor sum*. Et ut recte Augustinus: Ecclesia hæc extenditur à primo iusto inclusive usque ad ultimum futurum salvandum inclusive & claudit omnes salvandos. Hanc credimus Ecclesiam Catholicam: atque huc refe-

ren-

rendum illud Apostoli ἡ πίστις ἐστὶ ἐλεγχῆ & ἐλεπωμένων: non tamen in eam credimus: Quod agnovere etiam Ruffinus & August. tract. 29. in Joh. & de symb. Catech. lib. 4. c. 10. In verbis, quibus nostra de Deitate fides demonstratur, dicitur in Deum Patrem Filium & Spiritum Sanctum; sed de creaturis & mysteriis, nec additur particula in, nec dicitur, credo in sanctam Ecclesiam, sed credo esse aliquam sanctam Ecclesiam. &c. Porro dicimus Catholicam Ecclesiam oppositè ad Hæreses: tenet enim catholicam Christi & Apostolorum doctrinam. Hinc Christus Dominus: Si permanseritis in mea doctrina, verè mei discipuli eritis & agnoscetis veritatem, & veritas vos liberos reddet. Vincentius c. hæresis citante Altingio in ipsa inquit Catholica Ecclesia magno perè curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum: hoc est enim verè & proprie Catholicum. Et Cyrillus Hierosol. Catech. c. 18. in expos. Symb. Catholica Vocatur, quia docet Catholicè: hoc est universaliter, & sine ullo defectu omnia dogmata, quacunque in humanam cognitionem venire debent -- & quod omne genus hominum piè subjungat: Principes & privatos; prudentes & idiotas: Et quia in universum curat omne genus peccatorum, quæ per animam & quæ per corpus patrantur: habetur in illa omne genus virtutis, in factis & dictis & omni-genis spiritualibus charismatibus. Hinc etiam Ecclesiæ particulares, quatenus nempe fidem illam quæ est Ecclesiæ Catholicæ tenent, credunt & confitentur, Catholicæ dici consueverunt: quo sensu etiam Veteres non solum Romanam (quæ adhuc erat talis) sed etiam alias Ecclesias Catholicas appellaverunt: quæ etsi sint plures & magno numero; non tamen earum pluralitas tollit unitatem Ecclesiæ Catholicæ; imò internâ suâ unione & communione componit. Hæc est nostra vera Catholica Ecclesia.

V.

Non est novum Papatum Romanum gloriari nomine Ecclesiæ Catholicæ; de Ecclesia quidem Pontificia nos nomen Ecclesiæ Christianæ non negamus; non tamen vere & Catho-
tholi-

Disp. II. Resp. STEPHANO ESZE'KI, Hung.

tholicæ Ecclesiæ nomen ei permittit multimodus *error in doctrina: superstitiosa & inanes ceremoniæ, ut & idololatria in cultu: execranda tyrannis in Regimine:* in quibus tantum recesserunt à Doctrina Christi & Apostolorum ut parum aut nihil sincere in ea retinuerint. Atque nihil haftenus fusius à Nostris est ostensum, quam Papatum Rom. maximè ambire consoziationem cum antiquis Hæresibus; imò nihil esse quam congeriem multarum Hæresium. Hinc etiam non vocatur Hæresis; neque Pontificii Hæretici: quia est plurimum genus Hæresium. Ames. lib. 4. Cap. 4. q. 2. Contendunt nihilominus, ut puritatem doctrinæ Christi & Apostolorum, ab ipsorum temporibus, ad hæc in ipsos derivatam, ita Ecclesiam in sua puritate penes solam Ecclesiam Romanam conservatam, variis lenociniis & speciosis fabellis rudi populo persuadere; idque communiter, præsumpto Ecclesiæ Catholicæ nomine. Bellarminus quindecim ponens notas Ecclesiæ inter omnes hanc primò ponit q. *Vocatur Catholica:* quas tamen notas ad hæc tria revocari posse contendit: *Vna, Sancta, Catholica.* Ita etiam Becanus in Manuali. Tirinus in Controversiis & alii communiter: ex his Collegium Soc. Jesu Jaurinense unice Ecclesiæ Romanæ vindicat verum Catholicismum, in libello nuper vulgari idiomate emisso. Nos autem dicimus, hodiernam Ecclesiam Romano Papalem, quæ in ejus territorio est conclusa non esse Catholicam: idque probamus.

V I.

I. A nomine Catholici: quod ita Romæ adstrictum implicat esse Ecclesiam Catholicam & tamen Romanam: cum ex Hieronymo: *Orbis major sit urbe.* Hinc non est infrequens loquendi modus apud Hieronymum & August. quo Catholica Ecclesia Romanæ opponitur: unde nihil etiam sibi vel Romanæ Ecclesiæ derogatum existimabant, ab ejus doctrina & consuetudine discedere, nempe quam non extra

omnem erroris aleam positam judicarunt: hinc sæpe in diversas ab ea itum est sententias: quod vel ex ipsius Polycratis & Irenei Epistolis ad Victorem, Rom. Episc. datis (Euseb. lib. 5. Eccles. Hist. cap. 24. 25. & seq.) ut etiam aliis multis, liquet. Ambros. lib. 3. de Sacram. c. 1. *In omnibus inquit cupio sequi Ecclesiam Romanam; sed tamen & nos homines sensum habemus; ideo, quod alibi rectius servatur & nos rectè custodimus. Ipsum sequimur Apostolum Petrum, ipsius inhaerimus devotioni.* Hic possent adferri omnia Patrum argumenta, quibus pugnarunt contra Donatistas, non minus ac hodie Romanenses, cum Ecclesia Catholica gloriantes, quamvis eam coarctarint ad quendam Africæ angulum, quem ipsi occupabant. Argumenta inter reliquos Optati Milevitani videri possunt lib. 2. cont. Parmenianum: cujus verba refert etiam Clar. Forbesius Inst. Hist. Theol. l. 16. 2. Quia Roma multum ab antiquis virtutibus degeneravit; ita ut quæ ante erat Apostolica nunc sit Apostatica; quod ut nec impossibile ita jam dudum deflexionis initia observavere Patres: unde illud Hieronymi: *Ingemuit orbis & se Arrianum factum miratus est.* Quantum autem jam deflexerit, à quo Pontifex, Monarcha, Anti-christus in templo Dei sedens manifestatus est, obtestor omnes, quos illius tyrannidis jugum sub intolerabili in conscientias dominio fatigat. Idem testatur Genebrardus in Chronographia sua ad a. 902. *Pontifices nempe à virtute majorum prorsus defecisse, Apostaticos, Apostaticosve potius, quam Apostolicos.* Vide peculiarem de hac Apostasia tractatum Clar. D. Joh. Valckenier. Præsidis mei venerandi. 3. Quia non tantum à Doctrina Christi & Apostolorum, sed etiam antiquæ purioris Ecclesiæ, tantum deflexit, ut doctrinam in hæresim, cultum in superstitionem & idoloduliam, regimen in tyrannidem commutarit. Quod ipsa experientiâ, & innumeris testibus domesticis reclamantibus perfractè negare, signum est contumaciæ & obdurati cordis. Ex his satis constat Romano-Papalem Ecclesiam non esse Catholicam.

V I I.

Fundant tamen suum Catholicismum, & tanquam animam Religionis suæ tuentur præcipuè triplici fundamento, & præsidio. 1. *Romana Ecclesia est verè Catholica, ratione unius Capitis universalis Papæ.* 2. *Ratione Convenientiæ cum doctrinâ Christi & Apostolorum itemque Patrum: ut & inter sese.* 3. *Ratione Amplitudinis,* quia per universum mundum est diffusa & numerosiores sunt ejus Confessores quam ullius cujusquam Sectæ. Atque hoc in Bellarmino in notis quas ponit Ecclesiæ: Becano & in proximè nominato libello Collegii Jaur. videre est. Atque hic putant omnem perfici Catholicismum. Quamvis quæ dicta sunt proximè §. VI. ad convictionem sufficerent; nihilominus, ut manifestius sit Catholicismum Romanum esse solùm nudi nominis usurpationem, prænotata ejus fundamenta paucis evertere aggredior resumendo singula sigillatim: Et si quis ex fundamentis jam nominatis possit exsurgere Catholicismus, illum nostræ potius & non Romanæ esse Ecclesiæ paucis ad finem ostendam. Dico ergo Primò: Primatum Papæ in Ecclesia sive Christi Vicariatum (ut etiam loquitur Bellarm.) non esse fundamentum Catholicismi Ecclesiæ: cum is nullus sit; adeoque fictum Chimæricum extra Scripturam, Antiquitatem orthodoxam & certam rationem: quod in sequentibus probabo. Præter Scripturæ testimonia, solum Christum esse Caput Ecclesiæ probantia, quæ in hanc rem adduci possent & mixtim in omnibus Argumentis comparent, adeoque tam clara sunt ut nihil solidi hætenus contra excipi potuerit) probabo hoc argumento. Caput Ecclesiæ universalis est supra Ecclesiam: Papa Romanus non est supra Ecclesiam, E. Papa Rom. non est Caput Ecclesiæ universalis. Major est verissima. Minorem probabo. Papa Romanus, aut est membrum Ecclesiæ aut non: Si non: utique non est de Ecclesia: si non est de Ecclesia non est filius Dei; rectè enim Augustinus: *non est Deus in Cælis Pater cui non est in terris Ecclesia mater;* si non est filius Dei: utique filius Diaboli filius perditionis 2. Thess. 2. Accedit quod dicat se Sponsum Ecclesiæ: nul-

lus aurem Sponsus ex Lege Dei potest esse filius matris cuius vult esse sponsus. Aut ergo vult esse filius & non sponsus; aut non filius & sic neque sponsus, uno posito impossibile est ex jure alterum remanere; sed tamen nec priori sublato, manebit alterum penes Papam. Si est membrum Ecclesiæ: utique non est supra Ecclesiam: cum si Papa tam eximium esset Ecclesiæ membrum & tam verè quam verè est ejus Vomica; tamen subjici deberet Ecclesiæ; nisi emissarii omnes vino Babylonis inebriati omnem scripturam & sensum ejurantes, studio adulationis hoc ipsi arrogarent. Accedit quod ne quidem inter ipsos Pontificios convenit de Primatu Papæ, præ Ecclesia sive Concilio, quod vel ex ipso Bellarm. liquet: de quo infallibilis ille Controversiarum Judex necdum ausus est pronunciare. Conveniant ergo primùm inter se & sic nobis obijciant & ponant Papam sine controversia esse Caput & fundamentum Catholicismi Ecclesiæ.

V I I I.

2. *Arg. Aut omnes & singuli Pontifices ab initio ad Alexandrum usque VII. hodie sedentem fuerunt Capita Ecclesiæ: aut unus aliquis, Papa individuus. Prius non: 1. Quia multi fuerunt scelerati, Adulteri, incestuosi, Magici, Diabolici, Hæretici &c. & quid non? plurimi malis artibus Pontificatum invadentes: multi per Simoniam; aliqui Diabolo adjuvante, quidam vi sedem occuparunt, adeoque non per ostium; sed aliunde ingressi sunt in Ecclesiam: fures igitur & latrones potius Joh. 10. 1. 2. quam Capita Ecclesiæ agnoscendi: quam in rem domesticus testis Platina, Stella de vitis Pontificum ut nihil dicam de Tomis Conciliorum, in quibus eadem de pluriis referuntur. 3. Multi qui nec regiminis in se rationem habuerunt; nec sua delicta deterferunt: nec filiorum crimen correxerunt: qui canes impudici potius, quam Episcopi dicendi ex sententia Grat. Causa 2. q. 7. c. 32. 2. Plurimi etiam fuerunt Anti-Papæ teste etiam Bellarm. Tunc ergo Ecclesia aut fuit monstrum: aut hi non fuerunt Capita Ecclesiæ;*

AUT

aut non fuerunt Papæ. Illud non facile dicunt: secundum si dicant; hoc mihi sufficit, si tertium: utique Ecclesia, aut non fuit corpus vivum: aut Papa non est caput Ecclesiæ. Si dicatur Corpus fuisse vivum, utique habuit aliquod Caput quod Papa R. non fuit & sic integrum & sanum corpus sine Papa. Anti Christianum est igitur asserere Pontificem Romanum esse Caput & Pastorem Ecclesiæ universalis. Grego. lib. 6. Ep. 194. Ego autem fidenter dico quia, quisquis se universalem sacerdotem vocat vel vocari desiderat in elatione sua Anti-Christum præcurrit; quia superbiendo se coeteris præponit. Dist. 93. c. Diaconi. Singuli quique (loquens sic ut res est in imperio Romano) potentiam Episcopalis nominis illicitè sibi ipsi absque Ecclesia vendicarunt. 3. Ergo totidem fuerunt Ecclesiæ Capita quot fuerunt Papæ, ut meritò in Romanenses quadret illud vulgatum: Quot capita tot sententiæ: ergo toties mutata est facies Ecclesiæ, vel in melius, vel in pejus pro ratione nempe Paparum: vel hæreticorum, vel Schismaticorum, vel etiam monstroforum, quoties mutatus est Monarchatus: & hoc quid aliud est, quam Ecclesiam statuere instar braccæ Monachalis, quæ modo in hanc modo in illam, prout lubet, formam verti potest: aut omnes & singuli singulari S. Sancti assistentia, tam in vita, quam in moribus; tam in Doctrina quam in regimine ita sunt directi, ut nullus subsequenter, in vitâ, moribus, doctrinâ, & regiminis moderamine à prioribus deviauerit: aut verò omnes illi & singuli non erant Capita Ecclesiæ. 4. Ergò ad numerum etiam Paparum tanquam Caputum fuit etiam numerus Ecclesiæ universalis tanquam Corporis: Corpus enim quodque quod est vivum, habet suum Caput: & Caput omne quod est vivi corporis, habet suum corpus vivum: & sic Ecclesia erit Corpus Papæ à quotanquam Capite reliqua membra vitam & motum habeant; quod est solius Jesu Christi & qui sibi id arrogat in sua elatione Anti Christum præcurrit Gregor. lib. 6. Ep. 194. aut verò omnes & singuli Papæ non fuerunt Capita Ecclesiæ: quod hætenus probatum. Neque etiam unus aliquis singularis.

1. Nam quis ille sit vel fuerit haecenus non est ostensum. 2. Ille *aut* modo est; *aut* fuit ante; *aut* futurus est. Si modo est; ergo abhinc 600. annis non fuit, & tunc nullus Papa fuit Ecclesiae caput: si ante fuit totidem annis, ergo modo non est: si deinceps erit, ergo modo non est nec fuit ante: ergo adhuc nullus Papa fuit Caput Ecclesiae: *aut* ergo ille est Caput unicum & genuinè verum Ecclesiae universalis & ejus Pastor, qui fuit, est & erit idem sine mutatione in seculum; *aut* Papa non est Caput Ecclesiae. Ergò neque singuli; neque unus aliquis Papa est Caput Ecclesiae: quod haecenus probatum.

I X.

3. *Arg.* Papam esse Caput Ecclesiae *aut* est de fide divina & creditu omnibus necessarium: *aut* non. Posterius credo nemo Pontificius dicere audet. Si Prius utique niti debet testimonio aliquo divino & quidem clarissimo: quia *Scriptura est regula fidei sufficientissima* Bellarm. lib. 1. de verbo Dei cap. 1. & *scripta sunt omnia ab Apostolis, quae sunt omnibus necessaria* lib. 10. cap. 11. Cardin. Pazmannus alibi. *Quicquid cogitari potest ad sanctam vitam & mores bonos necessarium, omne illud sufficienter in Sacra Scriptura reperitur.* Educitur autem illud ex testimonio scripturae, *vel per literam vel per sequelam.* Prius nemo haecenus ostendit: cum tamen *ex solo literalis sensu scriptura debent peti argumenta efficacia* Bell. lib. 3. de verbo Dei cap. 3. Posterius sordet Pazmanno qui Kalauz pag. 99. *Consequentias* vocat *Idololatriam Novatorum.* Accedit quod hic insignem Pontificii manifestissimè committunt Circulum. Quæro enim: Unde scis te ex hoc loco scripturae V. G. Mat. 16. 17. Papatum posse probare? respondes: quia Ecclesia ita interpretatur: quæro: quid nomine Ecclesiae intelligas? An Coetum Cardinalium, Episcoporum Prælatorum &c. verbo Concilium: An congregationem magnorum parvorum, utriusque sexus laicorum & idiotarum: an vero Papam? Si illud: utique illius decisione stare non potes; nam fatente Bellarm. lib. 2. de Concil. cap. 11. *Concilia etiam generalia possunt errare,*

errare, -potestque Papa ea reprobare. & citat Cajet. in Apol. part. 2. c. 21. Turrecrim. lib. 3. cap. 32, 33, 34. & 38. Secundum credo nemo dicet, ut cujus sententia non sit definitiva. Si dicas Papam: *aut* solum intelligis, *aut* cum Concilio. Si solum: testantur multi Pontificii & experientia Papam posse errare, (Alphonsus de Castro lib. 1. adv. hæreses. c. 4. *Omnis homo errare potest in fide etiamsi Papa sit.*) errasse, posse esse hæreticum & docere hæresim: (contra quam tamen sententiam nullum adhuc generale Concilium, nullus Index expurgatorius: nulla Pontificis Bulla, vel sententia prodiit ultimata resolutiva; sed tolleratur patienter nemine prohibente Bell. lib. 4. de Pontif. cap. 2.) nisi etiam tum velint stare ejus sententiæ cum prohibuerit virtutes & præceperit vitia ut vult Bell. lib. 4. de Pont. c. 5. Si dicas Papam cum Concilio, frustra es: nam si res seriò urgeatur coactus fateberis, (quod etiam debes,) nomine Ecclesiæ intelligi debere Papam Roman. tum quia est universalis Ecclesiæ Pastor, Pontifex, repræsentative Ecclesia ut Bell. tum quia nullum supra se judicium agnoscit: sit etiam absolutè supra Ecclesiam universalem & Concilium generale. lib. 2. de Conc. cap. 17. adeoque vox ejus sit Ecclesiæ Catholicæ vox Bell. lib. 5. de Grat. & lib. arb. cap. 13. Accedit quod tota ratio infallibilitatis decretorum Concilii pendet à consensu & approbatione Papæ, ultimata definitiva, à qua ulterius nemo potest (ut quidam temerario *unum esse consistorium & curiam Dei & Papæ* asserit) appellare. *nec posse Deum ab hominibus judicari.* Ergo nomine Ecclesiæ intelligis Papam. Jam ergo fiat Circulus, *PAPAM esse Caput Ecclesiæ* probo ex sensu & interpretatione loci V.g. mat. 16. *quam percipio ex infallibili definitione Ecclesiæ, & nomine Ecclesiæ intelligo PAPAM.* unde si iterum interrogando redeam: unde constat infallibilitas Papæ? respondes: quia dixit Christus *oravi pro te ne deficiat fides tua.* quæro quî scis hoc pro Papa facere? respondes: quia Ecclesia quæ est infallibilis id est Papa ita definit, & hoc ita fit eundo & redeundo centies. Egregium sane ejusdem in propria causa testimonium; cum tamen tantum & tale sic testimo.

testimonium, quantus & qualis est testis: utique cum nondum satis probarunt infallibilitatem Papæ, non etiam ei fidem habemus: cum etiam sit testimonium de propria causa, apud ullum cordatum non definit. Fiat ergo Argumentum hoc modo. *Si sola fide humana credimus hunc vel illum esse summum Pontificem: non potest ejus iudicium esse fide divina certum ac verum: neque obligari potest Ecclesia ad iudicium vel sententiam hujus vel illius Pontificis, fide divina credendam: nam definitio fidei, Papæ auctoritate facta, tandem resolvitur in auctoritate Papæ.* Azor Instit. Moral part. 2. lib. 5. cap. 5. *Sed quod aliquis sit Vicarius Christi credi debet tantum fide humana* (verba tantum variant, res eadem est) *quia pendet ex variis circumstantiis.* Bannes in secundam secundæ q. 1. art. 10. & Cajet in eundem locum. Ergo ex sententia Azorii non potest ejus iudicium esse infallibile: neque quis potest obligari ad ejus sententiam fide divina credendam. Ergo Papam esse Caput Ecclesiæ non est de fide divina: quod hactenus probatum.

X.

4. Arg. Quod nulli mortalium competit illud ne etiam competit Papæ Rom. sed esse Monarchicum pastorem vel caput universalis Ecclesiæ nulli mortalium competit. E. Major est extra dubium: nisi velint Papam Roman. negare hominem mortalem. Minor probari potest variis modis. 1. Q. Episcopatus est summus in Ecclesia ordo: at omnes Episcopi sunt paris jurisdictionis Dist. 94. c. *Legimus* & aliis. 2. Monarchicus ille Pastor est Episcopus Episcoporum: & talis nullus est inter homines. Cyprianus Ep. 52. ad Antonianum. *Nemo unus Episcopus est Monarcha totius Ecclesiæ.* Idem in Concilio Carthaginiensi 85. Episcoporum. *Neque enim quisquam nostrum, se Episcopum esse Episcoporum constituit* &c. Vide plura apud Clariss. Forbesium Instit. Hist. Theol. lib. 16. c. 7.

XI.

Ineptus est ergo Bellarm. cum suis, Papam Vicarium Christi.

Disp. III. *Resp.* STEPHANO ESZE'KI, Hung.

Christi statuentibus. Pastorem, non solum Ecclesiarum particularium sed etiam totius Ecclesiæ universalis simul congregatæ, à Christo immediatè constitutum, lib. 2. de Conc. c. 15. & lib. 2. de Pontif. cap. 12. Quod antequam obtineat Papa, Concilio generali indicto vel Indice expurgatorio aut Bulla Pontificali emissâ Concilium Constantiense à Martino V. Papa approbatum, Theologos Parisienses, Constantienses & multos alios cum Gregorio Magno anathematizet oportet, quod si facere nolit relinquat etiam titulum Capitis Ecclesiæ universalis, neque se supra Ecclesiam extollat: tantum igitur abest ut sit Ecclesiæ universalis Caput & Pastor ut ne quidem particularis Episcopus dici mereatur, (quod infra fusiùs,) sed dicendus potius Dominus Italiæ. *Ecclesia* est *Sponsa* Christi casta, pura, non admittit plures secum contorales 2. Cor. 11. 2. neque *Christus Sponsus* Ecclesiam Sponsam suam foetidissimo & nefandissimo hominum monstro (quales fuere multi Papæ) committit: *elegit Ecclesiam* sibi ut illam servet castam & impollutam sine omni rugâ & macula Ephes. 2. *Sufficiens ad gubernium* Ecclesiæ suæ: Ipse ante omnia & omnia per eum consistunt Col. 1. 17. Non Vicario indiget: non vel ad momentum abest ab Ecclesia sua: non curam de ea suspendit: est *inimè præsens* Ecclesiæ suæ, cujus etiam est *complementum* replens omnia in omnibus Ephes. 1. 22. 23. Quando Christus hanc dignitatem, hanc curam, hoc regimen, Papæ Romano commisit: loquatur dies, annus, ætas, seculum? Est ipse *Caput* corporis Ecclesiæ Col. 1. 18. *primus* inter omnes vers. 19. Non adfuit quisquam Christo Domino in ferendis doloribus & cruciatibus, Ecclesiam in peculium suum acquirenti Esai. 63. *Torcular solus calcavit.* Ephes. 1. 7. Col. 1. 14. Ergo non etiam fert ullum Vicarium in regimine Col. 1. 20. 21. illius enim est regnum & solius, qui illud sibi & quidem solus acquirit, Regem alium non agnoscit: Christus autem solus & sibi regnum Ecclesiam acquisivit Ephes. 5. 25, 26,

27. Ergo etiam solus est in eo Rex Psal. 2. 7. *Ego autem in-*
unxi Regem meum super Sionem & in N. T. passim Mat. 21. *Ecce*
Rex tuus. Ubi tale quid de Papa dictum est Filiae Sion sive
 Ecclesiae, Pro-Regem absque diserto Regis mandato intro-
 ducere vel aliquem ita involare in Regnum, est contume-
 liosum Regi: neque est ulla autoritas regnandi penes Pro-
 Regem nisi Rege absente: Rex autem noster neque consen-
 sum dedit electioni Papae, semper etiam intimè praesens ad-
 est Ecclesiae suae Mat. 28. 20. neque admittere potest alium
 in Regnum, nisi vel se regendo imparem fateatur; vel alium
 sibi aequali regnandi potestate donare velit; quod est Re-
 gnum deponere & committere indigno: quis autem sanus
 & de unctione Christi ad officium hoc Regium è Scriptura
 edoctus, hoc dicat? Dedit quidem Christus Dominus consul-
 turus aedificationi & promotioni Spirituali Ecclesiae Ephes.
 4. 11, 12, 13. per verbum & Sacramenta, *alios Doctores alios*
Prophetas, alios Evangelistas, alios Apostolos & post eorum
 tempora ordinarios Ecclesiae Pastores; sed non legimus de-
 disse ullum Vicarium, Papam, Monarcham, in Ecclesia,
 vindicantem sibi jus Spirituale & temporale. Dictum qui-
 dem est futurum quendam *prae se ferentem se esse Deum, seden-*
tem in Templo Dei tanquam Deum; efferentem se supra id quod dici-
tur numen; illum tamen video appellari *filium perditionis, ho-*
minem peccati Anti-Christum quod si de se dictum Papa Rom.
 agnoscat; me adversantem non audiet. Vicariatum alium
 Papae in Scriptura tribui praeterquam adversitatis non vi-
 deo, neque Pontificius ullus probabit, usque dum maneat
 in limitibus Scripturae & orthodoxae antiquitatis.

X I I.

Incauti ergo cauti sunt Pontificii, alludentes in despe-
 rata hac causa ad Papatum & Primatum Petri, statuentes,
eodem modo Papam Rom. esse Caput Ecclesiae universalis & Christi
Vicarium, quo id à Christo Domino Petro fuit concessum: quem-
admodum in Episcopatu sedis Romanae: ita etiam in Monarchia
univer-

universalis Ecclesia esse ejus successorem. Bellarm. lib. 2. de Pontif. cap. 12. Quoniam non venit in mentem vel Christo, ullum ex Apostolis præreliquis dignitate & excellentia; multo minus Monarchia, in eorum & universæ Ecclesiæ caput extollere: nec Petrus unquam cogitavit, se Monarcham & Dominum reliquorum Apostolorum, ut in eodem Domini Dei opere conservorum appellitare: neque hoc ullo Scripturæ testimonio hætenus probatum est. Putant tamen omnem lauream & Pontificalem dignitatem conferri dicto Mat. 16. 18. *Super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam* quod ipse Bellarm. in acie collocat: negans locum intelligi posse & debere vel de Christo vel de fide & confessione Petri de Christo: certò statuens, nomine *Petra* intelligendum esse *Petrum* & ejus successorem *Papam Rom.* Lib. 1. de Pont. cap. 10. quod ut facilè sine probatione urgente adfertur, ita facilè rejicitur: neque præsidio antiquitatis ut nec phrasi Scripturæ, quam inique & contra authenticum Ecclesiæ exemplar detorquet, vertendo *Tu es Petra* se tueri potest. Antiquitates quas allegat; partim sunt supposititiæ, partim pro se nihil facientes: quod ordine de allegatis ostendit Clariss. Junius in animadversionibus contra Bellarm. Lib. 1. de Pont. cap. 10. Ar. 10. 11. & seq. Imò contrarium omnes docuere Patres Orthodoxi; testati nomine *Petræ* intelligendam esse confessionem fidei, quam edidit Petrus de Christo: quorum longum Catalogum recenset Clariss. Forbesius Inst. Histor. Theolog. Lib. 15. cap. 7. Distinguendum tamen est inter fundamentum *Personale* sive *Reale* & *Doctrinale*. Sanè fides & confessio Petri in se non potest dici fundamentum Ecclesiæ nisi in relatione ad Christum; idque *Doctrinale*, quatenus eadem obtinet Doctrina in Ecclesia Christi; & hoc non est solius Petri; sed etiam reliquorum Apostolorum, in eadem fide de Christo Apoc. 20. 21. Ephes. 2. 20. Nihil ergo hic habet Petrus, quod reliqui non haberent Apostoli. Neque nomen *Petri* in suo significato dignitatem illam, quam insulse urgent Pontificii ipsi contulit: nihil enim præter fir-

mitatem fidei ipsius & Apostolatum in Ecclesia (quæ aliquomodo dici possunt de ipsius Persona) eo significatur, cujus *ἡγεμονία* describitur 1. Cor. 3. 10. Mat. 19. 28. Luc. 22. 30. Clariss. Maref, Anti-Tirin. Contr. 6. n. 5.

X I I I.

Neque *responsio Petri solius ad interrogationem Christi facta* quicquam favet ejus Primatui & Monarchiæ: cum id factum sit partim ad confusionem vitandam: cum simul canentibus non deest quidem intelligentia; sed neque simul loquentibus deest confusio: factum est etiam hoc à Petro ex singulari illo instinctu & desiderio edendi confessionem de Christo: neque etiam aliud quidpiam respondissent reliqui Apostoli si vel privatim à Christo fuissent interrogati: neque etiam dicit Petrus *ego credo*: neque etiam debebat addere *nos credimus* sed sicut erat facta à Christo interrogatio: *Quem vos me dicitis?* Respondit Petrus: *Tu es Christus filius Dei viventis*: unde non magis excluduntur reliqui Apostoli quam ex confessione Marthæ Joh. 11. 27. Maria soror ejus; quamvis ibi addatur: *ego credo* quod patet ex vers. 26. ubi utræque ejusdem vitæ, promissæ huic fidei dicuntur participes. Neque *aliæ prærogativæ*, quas nimis copiosè enumerat Bellarm. Monarchiæ Petri patrocinantur: sunt enim partim nullæ; partim ei ridiculæ affixæ; partim de aliis Apostolis æque observari solitæ: quædam sunt meri ordinis; nulla autem observantiæ, excellentiæ & dignitatis Monarchalis præ aliis Apostolis. Porro, considerandus etiam est Petrus vel ut *Credens*, & hoc est commune omnibus Christianis eandem fidem de Christo credentibus & confitentibus; vel ut *Docens* & hoc est commune omnibus fidelibus domûs Dei in rupe & fundamento positæ 1. Cor. 3. 10. Architectis, qui debent in *Ecclesia Dei* fideliter versari, quæ est *columna & stabilimentum veritatis* 1. Tim. 3. 15. *Reale* autem & *Personale* fundamentum Ecclesiæ est solus Christus Dominus à Petro agnitus & confessus & à se designatus. Joh. 2. 19. *In quo totum ædificium congruenter coagmentatum*

tatum crescit ut sit templum sanctum Domino Ephes. 2. 20. Qui singularem Ecclesiae suae praesentiam promittit Mat. 28. 20. Hoc est unicum Ecclesiae fundamentum, neque aliud quisquam ponere potest: 1. Cor. 3. 11. Gloss. ordin. in locum hunc. Mat. 16. Tu es Petrus; ob fortitudinem fidei & confessionis constantiam; ita tamen ut mihi retineam dignitatem fundamenti: Tu super me ordinabis lapides mundos, & abijcies leprosos. Et super hanc Petram: id est Christum in quem credis. Ibid. Leo Magnus. Serm. 3. de B. Petro: Quia Tu es Petrus, id est, cum ego sim inviolabilis Petra: ego lapis angularis, qui facit utraque unum: ego fundamentum, prater quod nemo potest aliud ponere. Lyra ibid. Et ego tibi dico: pro te & pro sociis tuis: quia tu es Petrus: confessor verae Petrae, quae Christus est: Et super hanc Petram: quam confessus es id est Christum &c.

X I V.

Amplius: dato sed non concessio, Petram, de Petro intelligi; necdum tamen evincit Pontificii, aliquam Monarchiam & Episcopatum universalem hic à Christo Petro concessam. 1. Quia nihil ibi dicitur quod & reliquis Apostolis ex aequo non sit commune: nempe quia per eorum doctrinam aedificata est Ecclesia Christi Ephes. 2. vers. ult. Apoc. 21. 14. ut & Jacobus & Johannes vocantur columnae Ecclesiae Gal. 2. 9. Attendendum etiam est ad verba textus ejusdem posteriora: Et tibi dabo claves regni caelorum, quae ipse Christus Dominus explicat Mat. 28. 18. Quaecunque solveritis & quaecunque ligaveritis &c. Item Johan. 20. 23. Si quorum remiseritis peccata &c. Quibus verbis, tum ex contextu, cum ex confessione Magnorum Pontificiorum & Bell. de Rom. Pont. l. 4. c. 23. aequè conferri & eandem jurisdictionem reliquis Apostolis quae Petro erat promissa, certum est. 2. Quia haec dicuntur, non de Magistro & primario aedis Domino; sed de Oecono-
mo & ministro fideli, cui Dominus, domus suae claves commisit. Hinc est quod Apostoli saepe de primatu contende-
bant ut videre est Mat. 20. 21. Luc. 22. 24. Si autem unus

V. G. Petrus publicâ Christi (quem omnes Magistrum agnoverunt) autoritate fuisset constitutus maximus & autoritate & potestate, præ reliquis, quomodo de eo inquisivissent, reluctantes ordinationi Christi? Hinc est etiam quod Christus Dominus Hierarchiam Regibus tribuens, Discipulis adimit Luc. 22. 26. Mat. 22. 25. 26. Non ergo habuit quicquam Petrus in reliquos Apostolos, quod reliqui non habuerint in ipsum, unde etiam repræhensus est à Paulo Gal. 2. 13. 14. Hinc rectè Gratianus. Causa 2. q. 7. can. 33. *Paulus Petrum reprehendit, quod non auderet nisi se non imparem sciret: (Dist. 21. c. Nunc autem.)* Non enim potest quis ritè ab iis qui inferioris dignitatis vel ordinis sunt, judicialibus submitti definitionibus item cap. in novo Test. Causa 24. q. 1. c. *Loquitur.* Hoc erant utique & cæteri Apostoli quod fuit & Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis, quod autem postea (Dist. 93. c. *Legimus.*) unus electus est, qui cæteris præponeretur in Schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Ecclesiam Christi rumperet. Accedit, quod Lombard. 4. sent. dist. 18. hanc potestatem, ordinis esse docet. *Clavis, est potestas ligandi & solvendi, qua Ecclesiasticus iudex, dignos recipere & indignos excludere debet à regno.* Et Scotus: *Clavem commissariam, quæ potest homini committi, sacerdoti dari in susceptione ordinis.* Vide Clariss. Ames. Bell. enervat. Tom. 1. lib. 3. cap. 2.

X V.

Hinc, rectè Scholastici distinguunt *potestatem* quod alia sit *authoritatis*; alia *excellentiæ* alia *ministerii*: adeoque contendunt, *illam* soli Deo competere: *istam* Christo Mediatori, *hanc* autem solam Ecclesiæ concessam. Alex. Alens. part. 4. q. 20. Durand. in 4. sent. dist. 18. ut & alii in eundem locum. Ergò eadem est hic potestas commissa Petro, quæ Joh. 21. *pasce oves meas* etiam reliquis Apostolis est communis Act. 20. 18. 1. Pet. 5. 1. Vide hic Dist. 94. c. *Legimus*; imò omnibus legitimis & ordinariis veris Ecclesiæ ministris. Neque terna pronuntiatio eam soli Petro vendicat: quam Augustinus rectè trinæ abne-

abnegationi opponit, ut confessione fidei & resipiscentiæ restituantur in munus. Porro si etiam concederemus locum Mat. 16. intelligi & applicari debere soli Petro (quod tamen non admittimus) maneret adhuc neganda consequentia à Petro ad Papam: Negamus enim 1. Pontificatum Papæ fundari in Primatu Petri. 2. Papæ doctrinam superædificatam Petro Petræ. 3. Papam esse Petri successorem vel in vita & moribus vel in officio, & doctrina, vel in sede, quam ipsi fingunt Romæ: quæ omnia levibus valde, nituntur conjecturis. Quod ad rem igitur nihil (ut ex ante dictis patet) magis ex jurisdictione & potestate Petri sequitur quam *quemlibet Episcopum* (sumendo vocem Episcopi æquipollentem presbyteri) *esse parem ratione jurisdictionis Episcopalis Pontifici* (si quid à Petro consequentiæ gratis admittatur ad Papam) Romano, quod Clariss. Forbesius novem solidissimis argumentis probat lib. 16. c. 5. Ergò hinc concludo: fictitium & arreptitium esse Petri Primatum & Monarchiam ad probandum primatum Papæ Romani, quod cum sit de essentia & anima fidei Pontificiæ valdè debilibus stat fundamentis. Imò Papa Romanus nequidem tantæ est in Ecclesia potestatis quantæ quidem est unus aliquis Episcopus vel Presbyter 1. quia Papa non est Episcopus: (1) cum *omnis Episcopus sit Presbyter* inquit auctor Comm. qui Ambrosio ascribitur, in 1. Tim. 3. Item hoc probat Gratianus Distinct. 94. c. *Legimus* & quidem ex 1. Pet. 5. 1. item ex nomine Episcopi. Ergo si non est Episcopus: neque erit Episcopus universalis. (2) *Q. Papa, ut Papa, sine presbyteratu & gradu sacerdotii potest esse*: unde conficitur: posse esse Papam qui non sit Episcopus, ex quo hoc: Papam ut Papam non esse universalem Episcopum. Quod autem Papa, possit esse Papa, sine gradu sacerdotii, ex Augustino de Ancona refert Henricus Kalteisen in oratione quam habuit in Concilio Basiliensi. 2. Quia *Papa ut Papa non habet potestatem consuecendi corpus Christi verum* Idem ibid. quod tamen de sacerdotibus suis præsumunt Pontificii, imò blasphemè dicunt, *se Creatores sui Creatoris. &c.*

X V I.

Hinc, tantum abest ut miseri idiotæ confessores, sciant quid certo statuant de suo Pontifice Romano; ut ne quidem ipsi Papæ, quamvis alias infallibilis Ecclesiæ Judicis potest fide divina & infallibili constare de legitimo suo Pontificatu: quod sit ostendo. *Primò* de prioribus: idque triplici demonstratione. 1. Non sunt certi *fide divina*, cui fallum subesse non potest: illa enim nititur autoritate S. Sancti in scripturâ loquentis, qui est infallibilis; at Pontificatus Rom. hætenus ex hoc principio non emerfit, nec unquam emerget: ubi si rigidi esse velimus, eâ claritate postulabimus, quâ Jesum Christum esse vivum mundi Messiam, Trinitatem Personarum in Divinis & reliqua Orthodoxæ fidei summa capita à nobis hætenus sunt ostensa, idque propterea: quia est columna & fundamentum totius Papismi quo stante vel cadente stat caditque fides Romana. Quod si fiat meritò manus conseremus in hac Conclusionem: *Ergo Papa Romanus est Caput Ecclesiæ & Monarcha universalis*. Si verò id non possint, fateantur se non posse; adeoque fide divina non esse certos de Pontificatu Papæ. 2. Neque etiam *fide humana*: quia fides humana resolvitur in auctoritatem vel testimonium hominis fide digni: hic recipimus testimonium sex priorum Seculorum, ex quibus probaturi, experientur se excidisse à Papatu eorum testimonio. Adferant historias; non fabulas; ad quas tamen reponere possumus ex ipso Bellarm. lib. 2. de Concil. cap. 9. *Nullos historicos esse authenticos, præter scriptores sacros*. Ergo neque fide humana possunt esse certi de Pontificatu Papæ. 3. Non etiam *fide Romano-Papistica*: quia illius ultima resolutio est in Decreta Conciliorum; imò hinc etiam revocant ad Papam, ut nesciant vel ipsi ubi pedem figant. Si in Conciliis? ubi hætenus definitum est, Papam esse supra Concilium, adeoque ipsum errare non posse? Fatetur hoc Bellarm. lib. 4. de Pont. cap. 2. Porro si quis temerè præsumat & dicat id definitum esse. 1. Ostendi postulo. 2. In dubium vocabo illud Concilium, num fuerit legitimum argumento Bellarm. lib. 2. de

Disp. IV. *Resp.* STEPHANO ESZE'KI, Hung.
 de Conc. cap. 9. Si autem à Pontifice definitum hoc dicant.
 Hic agam similiter, adeoque dico: Aut hoc Pontificiis con-
 stabat aliunde ante definitionem Papæ, aut non. Si prius,
 utique frustranea est definitio ejus. *Accedit* quod, quid nam illud
 sit hætenus non est ostensum; si velint, manifestum commit-
 tant Circulum necesse est. Si Posterius: utique hic iterum
 dubites oportet: si enim ambigas de infallibilitate Papæ, &
 nondum habeas determinatam veritatem Pontificatûs ejus, an-
 tequam se talẽm esse ipse definiret, utique etiam ambigas
 oportet, an non erravit in ipso decreto, quo se Pontificem
 & Monarcham Ecclesiæ definivit. Hoc argumentum pro-
 prium militat adversus Bellarminum & alios donec fidem suam
 de Pontificatu Papæ ex meliori fundamento deducant. Hic
 tamen tenendæ sunt aliquæ *observationes* ex Bellarm. 1. *Quod*
Episcopus Rom. sit Petri successor ex facto Petri ortum habuit & non
ex institutione Christi. 2. *Tametsi hoc non sit de jure divino, tamen*
si quis absolutè quærat: an Rom. Pontifex sit Pastor & Caput Eccle-
sia? omnino id esse affirmandum. 3. *Licet fortè id non sit de jure di-*
vino; tamen pertinet ad fidem Catholicam: quia & Paulum ha-
buisse penulam, est de fide, non autem ex jure divino. E. & Papam
esse Rom. Pontificem: quod habemus ex traditione Apostolica Petri,
quam Concilia generalia Pontificum decreta, & consensus declaravit.
 Hæc Bell. lib. 2. de Pontif. cap. 12. Hoc est speculum, hæc
 cynosura fidei Pontificiæ de Pontificatu Papæ. Unde conclu-
 do. Ergò confessores Pontificii, nullâ fide possunt esse certi
 de Pontificatu Papæ.

X V I I.

Secundò. Neque etiam Pontifex potest esse infallibiliter
 certus, de legitimo suo Pontificatu: num legitime sit electus?
 an illegitime hætenus sedem obtinuerit, quod probo positis
 hypothesibus. 1. *Hyp.* Ordo est sacramentum. 2. *Hyp.* Sacra-
 menti virtus & efficacia omnis, pendet ab intentione ministri.
 3. *Hyp.* Pontificatus est ordo supremus in Episcopatu. In

D

his

his habeo omnes Pontificios consentientes. Unde sic infero: Non constat Pontifici Rom. de intentione Cardinalium ipsum Pontificem eligentium: num fuerint syncerâ erga ipsum vel minùs, intentione: ergo neque de legitimo suo Pontificatu; imò vel unquam baptizatum, vel ullum aliud recipisse Sacramentum: quia ut Sacramentum in Pontificatu sit legitimum & operans, necessaria est intentio ministri illud administrantis; at hoc unde novit Pontifex? nondum enim ad illam sublimitatem pervenit, ut cordium scrutator dici debeat; quamvis se à nemine judicandum jactet. Porro, unde etiam Domini illi Sacrificuli probabunt legitimum suum ministerium? cum minus ipsis constet, de intentione aliorum ipsos ordinantium; imò quod majus: neque constat alterutri num sint legitimi in Ecclesia: non enim sciunt se in gremium Ecclesiæ receptos per Baptismum: cum ibi etiam de intentione ministri nemini eorum constet: quid si fortè ille baptizavit in nomine Diaboli, quod etiam accidit quondam, cum fassus est quidam Sacerdos se plusquam trecentos infantes in nomine Diaboli baptizasse, quare etiam Massiliæ in Galliis combustus est. Et hoc de omnibus Episcopis Cardinalibus & omnibus Ecclesiæ Romanæ ministris toties recurrit si centies interrogentur de suo Baptismo vel Ordine. Quid ergò agitur cum misera plebe, cujus sanè rei sunt Pontificii, qui indoctos idiotas in eundem errorem secum abripiunt? Vega lib. 9. de justif. cap. 17. *Nemini potest per fidem constare se recepisse vel minimum Sacramentum: estque hoc tam certum ex fide, quam certum est nos vivere. Nulla siquidem est via, quâ citra revelationem nosse possimus intentionem ministrantis, vel evidenter; vel certò ex fide.* Dico ergo etiam de Papa non ipsi constare de legitimo suo Pontificatu vel baptismo: quæ difficultas gravat conscientiam Pontificis, usque dum arte aliquâ familiari hoc sibi persuadeat, quod legitimus sit Pontifex.

X V I I I.

Atqui ex hætenus dictis facile elidi potest omnis *Successio*
Per-

personalis, quâ Pontifex Romanus gloriatur ad Petrum: quod enim non est in potestate Patris non potest post mortem in filios derivari: *Nemo enim plus juris in alium confert, quam ipse ante habuit.* Extrav. Tit. de regulis juris c. *Nemo.* neque officia personalia cadunt sub testamentum, jure hæredibus factum: quod enim est personæ, decedit cum ea. Ita Consul vel Senator non potest testamento de suo consulatu, vel quid simile, disponere: *Arcentur etiam spurii ab officiis quibus olim Patres eorum præfuerunt; imò etiam filius removetur ab Ecclesia, in qua immediate successit Patri Vicario vel rectori juxta Greg. Tit. 17. c. ad extirpandas.* Quid quæso Papa habet Episcopale, quorum munus erat populum ex Verbo Dei instituere: Sacramenta administrare, non dominari Cleris, sed esse exemplaria gregis &c. Nullam officii Episcopalis partem vel minimo digito attingit: Plebem non docet: Sacram. non administrat: non exercet Disciplinam: reliquis non exemplo sed Dominio præest: tyrannide omnes exagitat &c. Quomodo ergo se Petro successisse edocebit?

X I X.

Non minus facile est etiam evertere omnem *Successionem Localem*: cum enim negamus, Petrum fuisse Caput vel Monarcham Ecclesiæ, ibidem negamus eum fuisse Papam Romanum: quod æquè ridiculis probabilitatibus est superstructum. *Mors Petri vel martyrium ejus Romæ* (cum tamen necdum satis probatum est eum annis 25. vixisse Romæ) sedem Episcopalem vel Pontificatum non alligat Romæ magis, quam mors Christi Hierosolymis (cum eum constet ibi vixisse) quamvis & Christus non minus fuerit Papa quam Petrus Bell. lib. 4. de Notis Ecclesiæ cap. 4. *Papista deducitur à Papa, qualis fuit etiam Petrus, & Christus ipse ut notum est.* Addendum: quod ipse Bellarm. concedat non esse de fide Catholica *successionem localem*; ut nempe ejus negatio dici possit hæresis, aut manifestus error. lib. 4. de Pont. cap. 4. *Ecclesiam Romanam non posse deficere, est pia & probabilissima sententia; non tamen adeò certa, ut*

contraria dici possit haeretica, aut manifestè erronea — non est omnino de fide, à Romana Ecclesia non posse separari Apostolicam sedem patet: quia neque Scriptura, neque Traditio habet sedem Apostolicam ita fixam esse Romæ, ut inde auferri non possit. Quod enim Episcopus Romanus, quia Episcopus Romanus est, sit Petri successor ex facto Petri ortum habuit, non exprimat Christi institutione. lib. 2. de Pont. cap. 12. quod tamen ibidem asserit per Concilia generalia & Consensum declaratum. Ad hæc. Cur Pontificii Papam non Christi sed Petri successorem faciunt? An etiam Christus non fuit Papa? quod antea ex Bell. visum, unde intero 1. Ergo fuit etiam Vicarius sui: quia est essentiale Papæ vicarium esse Christi. 2. Non ergò fuit mendicus, quod impudenter asserit Bell. lib. 2. de Monachis cap. 45. Christus verè fuit mendicus. Potiori ergo jure dicendus esset Papa Petri Vicarius, cum ejus expressa professio exstet Dist. 63. cap. Ego Ludovicus. beato Petro Principi Apostolorum & per te Vicario tuo D. Paschali summo Pontifici &c. Causa. 1. q. 1. c. Non quales. Nec in Vicariis B. Petri vobis attendendum est, qui sint &c. q. 7. cap. quoties. Sancto Petro Apostolorum Principi, atque ejus Vicario beatissimo Gregorio. &c. Aut ergo Papa Roman. non est Vicarius Christi: aut Vicarius Vicarium creare potest, quod est contra Jus Can. Tit. de officiis Vicarii c. Clericos. Accedit: quod non sit immediatus Vicarius: Petrus enim intercessit. Si autem à Petro est constitutus utique jam non est legitimus, ex lege allegata. Sed Bellarm. etiam Petrum & omnes Apostolos dicit fuisse mendicos ibid. Cujus ergo sit successor, & cujus suffragio teneat legitimè Monarchiam, ipse determinet oportet.

X X.

Abeat ergò Bell. cum suis si quid habet ex *Successione*, quam inseparabilem Ecclesiæ suæ Romanæ ponit notam lib. 4. de Eccles. cap. 8. cum tamen sedem non ita alligatam Romæ quin alio transferri non possit paulò ante asseribat. Quid quæso dicet de *Successione Personali* (nam de *successione doctrinali* infra dicemus) cum alii etiam ad eam jus prætendant, & quidem
accepto

29

accepto generaliter nomine omnibus familiis, regnis, politicis competere certum est; Specialius autem pro successione in Ecclesia, multi eam gloriantur, imprimis Patriarcha Constantinopolitanus antecessores suos recensere posse confidit? Sed hic est in promptu responsio lib. 4. de Notis Eccles. cap. 8. *Non colligi necessario Ecclesiam ubi est successio.* Quid ergo vult, quod ibidem dicit: *non esse Ecclesiam ubi non est hæc successio?* annon: quod successionis defectus sit nota falsæ Ecclesiæ; ejus tamen possessio non sit nota veræ Ecclesiæ? unde, mihi dubitanti de veritate Ecclesiæ Rom. nondum ex successione eam talem esse innotuit: tantum enim scio, quantum antea: scio ex hypothesi non esse veram Ecclesiam, ubi non est hæc successio; sed nescio: an Romana Ecclesia vera sit ex successione: cum inde non necessario colligenda sit vera Ecclesia, non secus, ac si quis mihi vellet persuadere Bellarminum fuisse hominem, hoc nomine: quia fuit bipes: credo mihi regerenti etiam gallina est bipes? non omne bipes est homo responderet, & sic egregie operam luderemus. Quid si interrogetur de Ecclesia Apostolorum? an dicet habuisse successionem? hic designet oportet quibus successerit: si verò neget: an etiam ex defectu successionis negabit eos habuisse veram Ecclesiam? Quid si redeamus Romam de Anti-Papis: an duo vel etiam tres simul sunt successores vel Vicarii? v. g. A. 1084. Gregorius V. & Clemens. III. A. 1379. Urbanus VI. Romæ, Clemens VII. in Galliis qui invicem se damnabant. A. 1409. Gregorius XII. Benedictus XIII. Alexander V. cui successit Johannes XIV. A. 1440. Eugenius IV. & Felix IV. cui hic adjudicabunt sedem: aut omnibus aut nulli, utroque modo impingunt: ita statuent Ecclesiam *πλικεφαλὴν* & monstrum: hoc modo *ἀκεφαλὴν* & cadaver? Quid quando nullus fuit Papa? Quid, quando multi fuerunt Hæretici, Schismatici (Stapletonus in admirandis Ecclesiæ Roman. enumerat. 25. Schismata quorum unum 40. duo autem 20. annis viguere) & quales non, legatur vel solus Platina. Si quis autem in compendio velit Clariss. beatæ memoriæ Szegedinum in suo

speculo Pontif. consulat. Quid de *successione locali*, cum non sint certi de sede Romana? Johan. Gerson. Acad. Paris. Cancell. in Concilio Constantiensi. *Intantam* inquit *ambiguitatem* universalis Ecclesia devenit, quod ignorat apud quam partem vera sedes Romana erat: nise forsan Deus alicui revelasset; aut Salomonis iudicium de puero dividendo & vera & falsa matre, hoc persuaderet. Accedit; quod dicant se hoc non habere vel ex jure vel ex institutione Christi.

X X I.

Quomodo ergo: *Quatis*: Papa Rom. vel sedes Rom. ad hanc sublimitatem est evecta: videtur hoc non esse humanæ authoritatis vel institutionis? *Resp.* Non est quod de eo hic actum agamus: cum illius ortum, progressum; conceptionem, formationem, nativitatem, adolescentiam &c. hactenus Clarissimi nostri Theologi abundè demonstrarunt. Doctiss. & Nob. Plessæus, pro quo Vindicias scripsit Celeb. Rivetus: Clariss. Hoornbeeck in summa Controv. paucis & specimen præformavit Tilenus, adhuc noster, in Syntagm. Theol. item Colonius in Analyfi Instit. Calvin. Et alii multi. Hoc tamen breviter ex Cardinale Portuensi addere placet:

*Papatus munus, tulit Archi-Diaconus unus:
Quem Patrem Patrum fecit discordia fratrum.*

Reperio universalis Episcopi titulum interdictum Dist. 99. Cap. *Prima* à Gregorio: *Universalis autem nec etiam Romanus Pontifex* appelletur: *hæc enim sunt verba quæ veritatem instant & charitatem vulnerant.* Plura videri possunt apud Gregorium lib. 4. Ep. 80. ubi nomen universalis dicit esse novam ac profanum, temerarium, stultum, superbum, nefandum. Et ad Anianum, Diaconum Constant. scribens. ep. 39. in isto inquit *scelesto* vocabulo consentire nihil aliud est, quam fidem perdere. Et plura ibid. videri possunt. ut & lib. 6. passim, ut frustra sit Bellarm. nomen illud limitans lib. 2. de Pont. cap. 31. nam eodem modo quo illud Pontifici tribuit, dicitur à Gregorio *stultum*,
pro-

profanum &c. ut qui nulli subesse sed omnibus præesse gestiat Dist. 40. C. si Papa. Extrav. com. Tit. de majorit. & obed. Reperio etiam assignatum, Primatum quærenti præmium Dist. 4. cap. Multi. *Quicumque desideraverit primatum in terrâ inveniet confusionem in cælo, nec inter servos Christi computabitur, qui de primatu tractaverit.* Atque sic examinavimus primum Catholicismi Ecclesiæ Romanæ fundamentum.

X X I I.

Secundum est *Convenientia cum Doctrina Christi & Apostolorum item inter se.* Speciosa sanè gloriatio si modò vera. Quod ut accuratè examinari possit videndum *Primò*: quæ sit convenientia inter Christum & Apostolos item Romanenses. *Deinde* quæ sit convenientia Romanensium inter se. Quod ad prius: Hic affirmantibus incumbit probatio ita ut quicquid in jactata hac convenientia & hinc nata *successione doctrinæ* eludenda agant Orthodoxi, gratis faciunt & ex abundanti. Ex instituto tamen quid hic habeant Pontificii paucis ostendam. Quod ad Christum, considero ejus Personam & Officia item Doctrinam; *Romanenses* repugnant Personæ Christi 1. Cum Papam, constituunt, Caput Ecclesiæ, quæ dignitas est solius Christi. Ephel. 1. 21. 22. Col. 1. 18. 2. Quando, nomen, honorem & Cultum divinum, Christo adimentes, alii tribuunt, quod solenne est inter *Romanenses*. Non veretur Papa *Deus in terris* vocari, *Princeps in Ecclesia militante*: Dominus & sponsus Ecclesiæ & similia multa; quæ exstant tum apud Gnathones Jesuitas, cum apud varios Papæ salutatores: non negligenter audit titulum *divinæ majestatis, omnipotentia, infallibilitatis* & similia, quæ videre est in orationi Anton. Puccii ad Leonem X. item in dedicatione Librorum quorundam Neapoli & Benoniæ impressorum, sub hac inscriptione: *Paulo V. Vice-Deo, Monarcha invictissimo: Pontificia omnipotentia conservatori acerrimo.* Hic directè se opponit Christo præseferens se esse Deum 2. Thes. 2. 4. 3. Quando adorationem religiosam & Dominium in cælo & in

& in terra Christo adimunt; quæ partim Virgini Mariæ (quod videre est in Psalterio) partim Pontifici & Sanctis tribuunt: docentes etiam *leges à Deo immediate latas Papam posse infringere, consuetudines ligare & solvere: contra Evangelistas & Apostolos dispensare.* Imò, eo excrevit auctoritas Papæ, ut si innumeras animas secum ad tartara deferret nemo auderet dicere: *Cur hoc facis Papa?* Dist. 40. c. *si Papa.* Involant in auctoritatem Dei: cum *Canonem fidei & morum* in perpetuum usum Ecclesiæ traditum, recipiendum docent, *non quia talis est; sed quia Papa de eo est sententia* Dist. 19. c. *Si Rom. Pont.* Hujus impii sacrilegii vigor, eo temeritatis abduxit Bel-larm. ut non puduerit eum dixisse: *Si Papa prohiberet virtutes & præciperet vitia teneretur Ecclesia credere virtutes esse malas & vitia bona; nisi vellet contra conscientiam errare* lib. 4. de Pont. cap. 5. Et talis est convenientia Romanensium, & Papæ, cum Persona Christi.

X X I I I.

Officio Christi non minus repugnant. Est autem illud triplex *Regium, Sacerdotale, Propheticum.* Christus Dominus solus est Rex in Ecclesia à Deo constitutus, cui omnis potestas in cœlo & in terra data est Psal. 2. 7. 1. Cor. 8. 6. Mat. 28. 18. Pontificii invocant Virginem Mariam ut *Cæli & terra Dominam* in Psalt. Mariæ Psal. 17. imò quod soli dictum est Christo Heb. 1. 13. *Sede à dextris meis* non verentur etiam dicere de virgine M. *Tu cum filio tuo sedes ad dextram Patris* Psal. 3. Imò Papa plane aufert Christo regnum: quando omnem jurisdictionem in Ecclesia, & Dominatum super Reges & Principes sibi tribuit. Hinc est quod Gregorius IX. à Friderico Imperatore propter usurpatam jurisdictionem omnem ex illo Gen. 1. Fecit Deus duo luminaria magna: *Sol luminare majus est Papa; Luna, luminare minus est Imperator* Anti-Christus pronunciatus est. Hoc damnabat olim Op-tatus Milevitanus in Donato Carthagin. *Cum super Imperatorem inquit non sit nisi solus Deus, qui fecit Imperatorem; dum*
se

Disp. V. Resp. STEPHANO ESZEKI, Hung.

se Donatus super Imperatorem extulit jam quasi hominum excefferat metas ut se ut Deum non hominem aestimaret, non verendo eum, qui post Deum ab hominibus timebatur. Christus Dominus solus est Sacerdos N. T. perfectè sacrificans qualis describitur in Epistola ad Hebræos. Romanenses hanc dignitatem & hoc jus Missificis suis Sacrificulis ascribunt. Conc. Trid. sess. 22. c. 2. Christus semel se obtulit in æternum Patri, & unicâ oblatione consumavit omnes qui sunt sanctificandi Hebr. 10. 14. Romanenses innumeras Missas celebrant in remissionem peccatorum. vivorum & mortuorum, in quibus Christum per manus Sacrificuli, quotidie denuò offerri contendunt. Conc. Trid. sess. 22. c. 2. Christus unicus est Mediator inter Deum & homines 1. Tim. 2. 5. 1. Joh. 2. 1. Romanenses autem perpetuò clamant Virg. M. salvatricem, mediatricem, portam vitæ & penes ipsam reperturos quietem fatigatos & oneratos. Vid. Psalt. & Litaniam B. Mariæ. Christus omnia quæ à Patre audivit annuntiavit nobis: omnia ad salutem necessaria, tum per se, cum post discessum è terris per Apostolos exhibuit: Romanenses, Traditiones pari pietatis affectu cum Scriptura recipiendas, venerandas sanciunt Conc. Trid. sess. 4. Audi L. B. horrendum: illud Christi Hebr. 1. 1. blasphemè & cum execrando sacrilegio de Ignatio Loyola Jesuitarum Parente usurpant: Deum novissimis hisce temporibus loquutum fuisse nobis per filium suum Ignatium, quem constituit heredem omnium, cui ad laudem illius fastigium nihil deest præter hoc verbum: per quem & secula fecit. Deza in Serm. de Can. Loyolæ pag. 112. Et hæc est convenientia Romanens. cum Christo in officiis.

XXIV.

Doctrinam Christi quam scèdè corrumpant, vel in unico Articulo de Pontificatu clarum est: item ademptione calicis Eucharistiæ à populo: quod cum anathemate sancit Conc. Trid. agnito: quamvis Christus ita instituerit. Christus dicit. Mat. 15. 9. Frustra me colunt docentes doctrinam quæ sunt mandata
homi-

hominum: Romanenses addunt cultum Imaginum & ceremonias humani cerebri: reliqua non est necesse persequi. Videat qui volet Clariss. Gomarum in Disp. Theol. & alios. Et hæc est convenientia cum Doctrina Christi.

X X V.

Quantum ad convenientiam cum Apostolis. *Primò* eam detegam in Petro & Papa Rom. qui ejus successorem se clamat. Hic etiam considero Petri *Vitam officium & Doctrinam*. *Petrus* non Monasticam; sed *συμβιωτικὴν* cum uxore vixit vitam 1. Cor. 9, 5. *Papa Rom.* legitimum matrimonium & ipse repudiat & aliis interdicit; scortationem autem & lupanaria multa in sanctitatis suæ sede tollerat. *Petrus* vitæ sanctitate, sanctitatem doctrinæ comprobavit, ut piè erga Deum, justè erga proximum; ita sobriè erga se, ut homo totus Christianus vixit: *Papa Rom.* nihil minùs habet quam sanctitatem vitæ. *Petrus* officio erat vocatus Minister extraordinarius ad prædicandum Euangelium: *Papa Rom.* multi, malis artibus, quidam Diabolo adjuvante Pontificatum sunt adepti: cujus insigne videre est in Bonifacio VIII. de quo dictum est: *Intravit ut Vulpes: vixit ut Leo; mortuus ut Canis.* & Sylvestro II. de quo Stella refert, *vixisse eum ut post mortem totus sit Diaboli*: non ad prædicandum; sed de delicias & voluptates mundi; quod tamen esset muneris omnium Episcoporum, Dist. 88. c. *Episcopus nullam rei familiaris curam ad se revocet; sed lectioni & orationi & verbi Dei prædicationi tantummodò vacet.*

X X V I.

Ineptit ergo Bellarm. cum immunitatem Pontificis ab omni munere Ecclesiastico tueretur, præsidio curandi per alios: cum in debitis personalibus (ait Cajetanus in 2. 2. q. 185. art. 5.) non absolvitur debitor si per alium faciat: salus etiam animarum ita necessitat pastorem ad personalem curam, quod regulariter non potest, sine ipsius Episcopi personali cura haberi. Debebat ergo Bellarminus inter tot variantes ordines determinare, quis nam sit ille

29

ille ordo per quem Pontifex ministrat? *Jesuitarum? Dominicanorum? Franciscanorum?* &c. an omnium collective. Si Jesuitarum: utique per illos damnat Dominicanos & Sorbonistas & de his conversim idem judicium. Si omnes collectivè: utique Pontifex prædicans ignorat quis, quid, ubi, quando & quibus prædicat? Si quando contingat aliquem Canonicum docere hæresim, imputandum est Papæ: quia *quod quis facit per alium, ipse fecisse putatur*. Si quando baptizet in nomine Diaboli, Pontifici est imputandum, ex eadem lege. Accedit quòd idem simul per varios ordines prædicans, dogma suum adstruit & destruit. V. G. *usum Liberi Arbitrii* per Jesuitas; quod tanquam *Pelagianum* dogma damnat per Dominicanos; *Mariam conceptam esse in peccato originali* per Dominicanos; quod per Franciscanos ut hæreticum damnat: *se esse supra Concilium & habere omnem jurisdictionem* per Jesuitas; quam tamen sententiam per Sorbonistas, ut perniciosam damnat. Et sic Papa simul est & *Hæreticus & Papista*. Accedit quòd hic non gerit vicem Apostolorum, qui non per alios sed ipsi prædicabant Rom. 1. 16. *Non enim me pudet*, &c. Addendum, quòd Ministri illi non sunt ministri Dei in Ecclesia; sed mercenarii Papæ: adeoque vacante, vel duplici aut triplici capite deformatâ Ecclesiâ Romanâ: omnes illi decedunt suo officio: non enim tum habent cujus vices agant: ut qui suam auctoritatem non à Christo sed à Papa habent juxta Bellarminum: ergo toties quoties mutatur *Papatus*, ministri Romanenses excedunt suo ministerio.

X X V I I.

Petrus non erat omni jurisdictione præ reliquis Apostolis munitus; sed ejusdem potestatis, jurisdictionis & ministerii: Pontifex Rom. omnem jurisdictionem Ecclesiasticam & Politicam in Reges & Principes imò in omnem creaturam, (Extrav. comm. Tit. de Major. & Obed. c. *unam Sanctam*) sibi vendicat. Nunquam pedes *Petri* osculati sunt Reges & Principes; quod tamen modo Pontifex exigit. Vide Celeb. Rivetum in

Epist. ad Balsac. cap. 28. Quod ad dissensionem in *Doctrina*, illa cuius collationem instituenti manifesta est: *Petrus* nusquam se fundamentum & Caput Ecclesiæ vocat; *Papa* ipsi attribuit: *Petrus* per solum Iesum Christum consequendam salutem docet, Act. 4. 12. 1. Ep. 1. 19 — *Papa* quos tantum non potest, huic negotio non conjungit: *Petrus* prohibet Dominatum super Clerum; 1. Ep. 5. 1. 2. 3. *Papa* illum exercet, seque à nemine judicandum; imò ab ipso omnes judicandos gloriatur &c. Hæc pluribus persequi est actum agere. Videatur Cathalogus Testium veritatis. Et Celeb. Gomar. tùm in Disp. Theol. cùm in Discrimine Hæreticorum & speculo veræ Ecclesiæ contra Cõstetum.

X X V I I I.

Quomodo *deinde* cum reliquis Apostolis conveniant Romanenses, ex hætenus dictis facile est judicare; hoc tamen etiam ostendam in Symbolo Apostolico, quod omnibus modis evertunt: Quod ad priores duos articulos fortè quis dubitat? Reliquis non repetitis in iis experiamur. 1. Art. Credo in Deum &c. *Rom. In te Domina speravi non confundar in æternum. Tu es refugium & fortitudo mea. Tibi virtus & gloria in secula seculorum Amen.* Psalt. B. Mariæ edit. Const. 1611. passim. Marcellus in orat. habita in Concilio Lateran. coram Julio II. sess. 4. *Cura inquit ut salutem, quam dedisti nobis, & vitam & spiritum non amittamus. Tu enim Pastor &c. Tu denique alter Deus in terris.* Extrav. Joh. XXII. de verborum signif. *Credere Dominum nostrum Deum Papam;* vox tamen, *Deum* in edit. quibusdam non habetur. 2. Art. Credo in Iesum Christum. &c. *Rom. Agnosce Dominam salvatricem tuam: Advocata nostra: propitiatorium universæ terræ: Dei & hominum mediatrix &c.* Psalt. Mariæ talibus passim est exornatum. De officiis & Persona Christi paulò ante dictum. Et hæc est *Romanensium* convenientia cum Christo & Apostolis.

X X I X.

Haecenus nihil accipientes Pontificii, revocant sortē ad *Patres* per quos nunquam interruptam successionem, & insignem cum eorum doctrina convenientiam sibi imaginantur. Ego tamen dico: 1. Patrum omnium quantumvis aliās Orthodoxorum dicta & scripta examinanda ad dicta & scripta Prophetarum & Apostolorum. 2. Patres quos pro se citant Romanenses partim nihil pro ipsis faciunt, partim depravantur, partim sunt foetus supposititii, quod doctissime & curiose ostendit Doctiss. *Perkinsus* in *Problemate suo Catholico*. 3. Impossibile est ulli Pontificio, ex genuinis, Patrum Orthodoxorum scriptis, legitimis Conciliis, antiquitate Christianā, religionem suam quā in Concilio Trident. est sancita, definita, canonizata, anathematibus obsignata, ab Apostolis ad hāc usque nostra tempora, sive hinc ad eorum tempora deducere: si hoc negent, ostendant & probent contrarium: nos probare non tenemur; quamvis hoc non leviter haecenus à Nostreis sit demonstratum, & quidem per singula *Loc. Comm.* capita, Quod fecit Doctiss. *Perkinsus*. Et praeformavit specimen *Celeb. Voetius Select. Disp. p. 2. (1)* quod per *Cyprianum*, *Augustinum* & *Carolus Magnum* non possit jactata Successio & Catholicismus Romanus probari. *Disp. Methodus elidendi praesumptam Successionem & Catholicismum Papatus*. 2. In fundamento Orthodoxiae & verae Christianitatis: de salute per solam misericordiam Christi consequenda. *Disp. Vis veritatis in ipso Papatu erumpentis*. Quam assertionem ad hāc tempora per omnia secula deducit: ut nihil commemorem *Celeb. Viros: Gomarus, Rivetum, Mortonum, Forbesium* in *Instruct. Hist. Theologicis & Nobilissimum Plessæum* in *Mysterio iniquitatis*, & reliquos qui in hoc genere scribendi excelluerunt. Nulla ergo est convenientia Ecclesiae Romano-Papalis cum *Scriptura*; quam multis Traditionibus depravavit: nulla cum *lege Dei*; quam partim Idololatriā, innumeris superstitionibus & cultu imaginum, (cui ut patrocinaretur sublatione secundū praecepti;) partim juramento per creaturas; innumeris

Festis & delectu dierum libertatem Christianam minuendo; partim sublato honore Regum & Principum, cogendo eos ad oscula pedum Pontificis; partim inquisitionibus tyrannicis; partim permissione liberæ scortationis & adulterii; partim detrahendo hominibus quod suum est; partim falsi juramenti & mendacii officiosi defensione; partim concupiscentiæ è censu peccatorum expunctione obliteravit: de quibus videri possunt definitiones Concil. Trid. Nulla cum *Euangelio*, ubi quot sunt materiæ totidem sunt dissensiones. 1. *Invocatio Sanctorum* derogat illi Mat. 4. Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies. 2. *Justificatio ex operibus* tollit Christi meritum adeoque derogat illi Rom. 3. 24. ut qui justificentur gratis &c. & 4. ut & Gal. 3. & quarto capitibus. 3. *Satisfactio humana* impugnat satisfactionem Christi: adeoque derogat illi Gal. 2. 21. Ergo Christus sine causa est mortuus, & Rom. 7. Non facio bonum quod volo &c. 4. *Consilia Evangelica* repugnant perfectioni totius legis & Evangelii & proxime illi Mat. 15. 9. Frustra me colunt &c. Deut. 21. 32. Ne addito neque detrahito ex ea. 5. *Nundinatio Indulgentiarum* evertit remissionem peccatorum sanguine Christi partam 1. Pet. 1. 18, 19, 20. 1. Joh. 1. 7. 6. *Sacrificium Missæ*; unicæ Christi oblationi est injurium. Hebr. 7. 9. 10. 14. Reliqua quæ sunt innumera non est necesse enumerare. Non minùs hoc est manifestum in doctrina Sacramentorum: ad quorum efficaciam requirunt intentionem *Ministri*: docent, *vi physica & ex opere operato* ea conferre gratiam & remissionem peccatorum. In Baptismo adhibent nomen Mariæ; in Eucharistia subtrahunt calicem populo, & similia multa de quibus compendio videre est Concil. Trident. Liturgias & Missale eorum. Nulla cum purioris ævi Patribus ex quibus non possunt ullum proferre, qui per omnia eadem cum Concilio Tridentino docuisset sensisset, &c. qui Papam Caput & pastorem universalis Ecclesiæ pronuntiasset. Vide quæ supra dicta sunt ex Gregorio.

X X X.

X X X.

Quod ut manifestius fiat in quibusdam doctrinæ capitibus hoc ostendam. Et quidem Primò. *De Monarchia Papæ.* Monendum autem, quòd ipsimet Pontificii concedant illam non esse de jure divino. Audiamus etiam quid de ea *Antiquitas.* Cyprianus in Concilio Carthag. ad Episc. *Nemo nostrum se Episcopum Episcoporum constituat — tanquam judicari ab aliis non possit; cum nec ipse possit alterum judicare.* Augustinus de unitate Ecclesiæ cap. 2. *Caput est ipse unigenitus Jesus Christus Filius Dei Vivi ipse salvator corporis.* Concil. Carthag. VI. definit neminem debere appellare ad Papam neque ipsi ullum jus super *Africanas Ecclesias concedendum.* Bernardus ad Eugenium Papam lib. 2. *Planum est, Apostolis interdicitur dominatus. Ergo tu, & tibi usurpare aude, — dominatio interdicitur; indicitur ministratio.* Quid verò modo Pontifex? Superiorem se in terris non agnoscit: Caput Ecclesiæ universalis &c. Extrav. com. De major. & obed. *Accedit, quod multa Concilia non à Pontifice; sed ab Imperatore sunt convocata: Nicænum à Constantino: Constantinop. 1. à Theodosio & reliqua: imò penitus subjecti erant Papæ Imperatoribus, à quibus & deponi & assumi non erat novum. Vide supplicem libellum Pontif. ad Imperat. in Conc. Chalcedon. can. 28.* Secundo De *Missa*, quam etiam numerant in ordine Traditionum fatenturque in *Scripturis non haberi.* Antiq. Chrysostomus in Joh. hom. 17. — *Non semper crucifigitur: unam namque pro peccatis nostris tulit Sacrificium: sed semper per illud nos purgal.* Justinus Martyr. in Dialogo cum Tryphone Judæo. *Preces autem & gratiarum actiones, quæ à dignis offeruntur, sola, perfecta ac Deo accepta sacrificia esse ipse quoque affirmo. Hæc autem sola etiam Christiani facere & offerre didicerunt &c.* Quid autem hic Pontificii? Christum offerri sub speciebus panis & vini in sacrificium verè ac propriè dictum pro vivis & mortuis. Con. Trid. sess. 22. *Accedit illud Ambrosii Ep. 76. Non potest hoc cuiquam hominum cum Christo esse commune ut peccata condonet: solius hoc Christi munus est qui tulit peccatum mundi.* Vigilant. lib.

1. Cont. Euthycem: *Quia in cœlo est, non est utique in terra:*
 neque ergò hic offerri potest. *Tertio de Indulgentiis.* Hic etiam
 fatentur non posse se ex Scriptura quicquam probare. Quantum
 autem ex Patribus, sufficiat illud Bellarm. lib. 2. cap. 17.
neque mirum videri debet si authores antiquiores non multos habeamus,
qui harum rerum mentionem faciant, quoniam plurima sunt in Ec-
clesia, quæ solo usu, sine literis conservantur. Gabr. Biel. Can.
 Miss. lect. 57. *Ante tempora B. Gregorii modicus vel nullus fuit In-*
dulgentiarum usus. Scotus in 4. sent. dist. 15. *Non potest satisfieri*
pro peccato, nisi in virtute passionis Christi. Pontifex autem R.
 sub anathemate satisfactiones supererogatorias & in sua po-
 testate distribuendas contendit Conc. Trid. sess. 25. *Accedit*
illud Cajetani de Indulgent. cap. 1. Nulla Scriptura Sacra,
nulla priscorum Græcorum aut Latinorum auctoritas ortum Indul-
gentiarum, ad nostram deduxit notitiam. Quartò. *De Communio-*
ne Eucharistiæ sub una specie, sufficiat confessio Conc. Trid. a-
 gnoscentis veram Christi institutionem, antiquitatis praxim;
 dicentis tamen *anathematis qui dicunt omnes & singulos Christi fi-*
deles ad utramque speciem ex Dei præcepto obligari, sess. 21. Bell. lib. 4.
 de Sacram. cap. 24. *Christus quidem instituit sub duplici specie, Ec-*
clesia vetus administrabat sub duplici specie — *Accedit quod quem-*
admodum panem, ita etiam vinum Christus Ecclesiæ suæ
membris in symbolum Spiritualis concordiae concessit. *Quin-*
id. De Cultu Imaginum. Clemens Alex. Strom. lib. 5. *Nullam*
oportet sculptilem vel fusilem vel fictam vel pictam imaginem, simula-
crumque facere: quoniam nihil in rebus genitis potest referre imagi-
nem Dei. Aug. de consens. Euang. lib. 1. cap. 10. *Sic omnino*
errare meruerunt, qui Christum & Apostolos ejus, non in Sanctis
codicibus sed in pictis parietibus quaesiverunt. Conc. Elib. Can. 36.
Placuit picturas in Ecclesia esse non debere: ne quod colitur, in parie-
tibus depingatur. Quid autem hic Pontificii? *Imagines in tem-*
plis collocandas, colendas & ut Thomas eodem cultu quo
illud cujus est imago. Con. Nic. 2. act. 7. Trid. sess. 25. *Acce-*
dat hic Bannes, qui neque expressè neque involuè invocationem
Sanctorum & cultum imaginum in Scripturis doceri fateatur. 2.2. q. 1.
 Suffi-

Disp. VI. Resp. STEPHANO ESZE'KI, Hung.
 Sufficiat hic adjicere Polyd. Vergil. de rerum Invent. lib. 6.
 c. 15. *Quem* (simulachorum cultum) *non modo nostra religionis*
expertes; sed teste Hieronymo omnes ferme Veteres Sancti Patres dam-
nabant ob metum Idololatria. Sextò. De Meritis operum. Ambros.
de vocat. gent. lib. 1. cap. 25. Vilesceret redemptio sanguinis Chri-
sti nec misericordia Dei, humanorum operum prerogativa succum-
beret, si justificatio, qua fit per gratiam, meritis pracedentibus de-
beretur; ut non munus largientis; sed merces esset operantis. Au-
gust in Psal. 43. Si merita nostra aliquid facerent, ad damnatio-
nem nostram veniret. Quid autem Pontificii? in meritis justi-
ficationem & vitam æternam quæritant Conc. Trid. sess. 6.
c. 32. Accedat tandem his Bellarm. & suos de meritis glori-
antes soletur hoc modo: propter incertitudinem propriae justitiæ &
periculum manis gloria tutissimum est fiduciam in sola Dei miseri-
cordia & benignitate reponere lib. 5. de Just. cap. 7. Atque quod
in sex his summis capitibus actum est facilius longè id fiet in
reliquis. His tamen ita prælibatis, non est necesse plura
commemorare. Videat qui volet Philonium Rom. & De-
speratam Causam Papatus Celeb. D. Gisb. Voetii. Hæc sum-
maria Ecclesiæ Rom. dogmatis capita, quorum e mentita
est Veritas, Antiquitas, Successio & Catholicismus. Veritas: quia
fatentur in Scripturis non haberi. Antiquitas: quia Vetus Ec-
clesia nihil horum intelligebat. Successio: quia ipsi moderni eo-
rum inventores. Catholicismus: quia Ecclesia vetus, Græci
& Latini Patres ita non crediderunt. Hinc quid vetat quò
minus Enthimematicè concludamus: Ergo Ecclesia Romano-
Papalis non est Catholica. Si negent Antecedens: illud ex ante
allegatis, usque dum contrarium ostenderint, solidum per-
sistet: si Consequens: articulos illos negent fundamentales
sui Papismi, oportet.

X X X I.

Super est alterum Conv. figm. *Confessorum inter se: quâ gloriari*
malunt quam potiri. Clarius est quam declaratione indigeat,
 F tan-

tantum abesse Pontificios in tot diversissimas sectas scissos ut inter se conveniant, ut nullus ferè sit articulus dogmatis in quo non dissentiant. *Canonistæ* non possunt gloriari de convenientia cum *Sorbonistis*, Neuter autem cum *Jesuitis*, ut nec *Dominicani* cum iisdem, Quos *Semi-Pelagianos* apellitant: *Scotistæ* cum *Thomistis* & variarum sectarum patroni cum alterius sectæ defensoribus. Hinc natus est titulus ille quem Guil. Camerarius Scotus, libro, pro justa defensione præmotionis physicæ, imposuit: *Antiquitatis de Novitate Victoria*. Quem directè conscripsit contra Jesuitas inventores *Scientiæ Mediæ*, & divulgavit cum approbatione variorum Ordinum patrum: quorum consensu Jesuitæ novitatis damnantur. In præcipuis dogmatis hoc magis patebit. Propono quæstionem: (1) *An Pontifex Rom. possit errare?* integras Academias video affirmantes, privatos multos, omnes autem Jesuitas negantes. (2) *An Concilium sit supra Papam?* video variantes de eo sententias apud Bell. Conc. Constantiense, Basileense &c. ut & Theologos Parisienses affirmantes, Cajetanum negantem jure divino esse Episcopum orbis de Primatu Pont. lib. 13. & innumeros alios. Negantes audio omnes Jesuitas. Driedo. lib. 4. de dogm. variis par. 3. c. 2. Rom. Episc. hanc potestatem universalem jure divino habet. (3) *An virgo Maria fuerit concepta in peccato originali?* Video acrem pugnam inter Dominicanos Affirmantes & Franciscanos Negantes. Pro illis facit Thomas par. 3. q. 27. a. 2. Cui Cajetanus addit: *Sanctos & antiquos Doctores ita tenuisse & sensisse*. Quæ sententia nondum est à Rom. sede definita; quamvis *Dominicani* & *Franciscani* invicem ut hæreticos, ex ea damnent. Extrav. Comm. Tit. de reliquiis cap. Grave nimis. Et quid præterea loquor: deficit enim me tempus enarrantem dissensionem de *Scriptura*, *Peccato originali*, *Cultu imaginum*, *Sacramentis* & aliis in quibus quid certi statuatur nondum habent. Celeb. Gomarus in Speculo veræ Ecclesiæ & in Disput. consuli potest. Nihil hic commemorabo *Anti-Papas* invicem ut Hæreticos damnantes: Clementem VIII. P. R. Vulgatam editionem à Sixto V. confirmatam, contra
ejus

29

ejus lectiones plus quam mille locis corrigentem : ut videant Pontificii qua fronte audeant jactare suam & suorum in religione convenientiam. Atque ex his firmiter concludo, hoc etiam fundamento non stare *Catholicismum* Romanum.

X X X I I.

Tertium restat fundamentum: *Amplitudo*. Hic duo dico 1. Multitudinem ut sic, non esse fundamentum *Catholicismi* Ecclesiæ. 2. Eam non competere soli Ecclesiæ Rom. præ aliis. Quod ad prius. 1. Quod commune est Hæreticis, Paganis, infidelibus imò omni errori, illud, non est fundamentum *Catholicismi* Ecclesiæ; sed *Amplitudo* ut sic, est communis. E. *Major* sua luce claret, usque dum evincant, illos, esse veram Ecclesiam Catholicam. Minor ex illo Hieronymi constat: *Ingemuit orbis & se Arrianum factum miratus est*. 2. Fundamentum *Catholicismi* Ecclesiæ non competit Ecclesiæ Satanæ: *Amplitudo* ut sic competit Ecclesiæ Satanæ. E. *Major* vera: quia sunt incompatibiles Ecclesia Christi & Satanæ. *Minor* quia eâ, hæc semper fuit latior. Hinc dicuntur *multi calcare viam latam pauci angustam* Mat. 7. Hinc Diabolus appellatur. *Princeps mundi, Deus seculi*, 2. Cor. 4. 4. Hinc Discipuli Christi dicuntur *non esse ex mundo: totus mundus jacere in malo* 1. Joh. 5. *omnes incolæ terræ adorare bestiam*. Apoc. 13. 3. Accedit testimonium Antiquitatis. Chrysostomus hom. 40. ad Antiochenos: *Non in numeri multitudine; sed in virtutis probitate piorum multitudo consistit: Elias unus erat; sed toto mundo dignior*. Nazianzenus cont. Arrianos ubinam sunt illi inquit qui Ecclesiam multitudine definiunt & gregem exiguum aspernantur. Rectè hic judicavit Gratianus, Causa 36. q. 2. *Placuit sententiam unius Presbyteri Scripturæ autoritate munitam præferendam esse Tomis Conciliorum: non enim sufficit multitudo, nisi concurrat doctrinæ veritas, quæ multitudine hostium non potest expugnari*. E. *Amplitudo* ut sic non est fundamentum *Catholicismi* Ecclesiæ.

X X X I I I.

Posterius. 1. Quia Ecclesia Rom. est una particularis claustris Romæ terminata. Huc faciunt Argumenta Patrum contra Arrianos, Quæ refert Clar. Forbesius. 2. Quia hæc Rom. Ecclesia non est illa antiqua quæ erat olim. Vide Clar. Valckenier de *Possibili & actuali Apostasia Romæ.* 3. Quia Ecclesia Orientalis quæ nondum Babylonem sequitur longe latior & amplior est Romanâ. 4. Utinam non possem argumentari à Secta Mahummedis, pro quâ, testatur tri. is dulcissimæ meæ Patriæ & circumjacentium Regionum facies, eam non solum Romanâ; sed totâ Ecclesiâ Christianâ esse longe numerosiorem, ut si juxta computum calculi cujusdam universus Orbis in triginta æquales partes distribueretur, quinque ex iis Christianismus, sex Mahummedismus, reliquas Paganismus occuparet. 5. Cur ergo Pontificii nobis numerum invident, ut videre est in Præf. Bell. ad Tom. 1. & 4. Nos non invidemus neque miramur amplitudinem Ecclesiæ Rom. cum sciamus ex Bellarmino, omnes Reprobos, Infideles & quantumvis sceleratos facere numerum in ea; imò ad eam pertinere omnes hæreticos; quamvis eos non esse de ea verbis ludat Bellarm. lib. 2. c. 2, 4. *Amplius:* Quis neget illi Ecclesiæ non incorporatos esse Dæmones, Sagas &c. cujus ut aliquis dicatur verum membrum, externa sufficit professio? Nos negamus hanc esse Ecclesiam Catholicam; quamvis in Ecclesia particulari malos, ut inter triticum zizania non negamus. Rectè Alex. Alens. p. 3. m. 3. a. 3. *Mali, sunt quidem de unitate Ecclesiæ; non de unitate Corporis Ecclesiæ, ut sint secundum propriam rationem Corporis, vel quo ad unionem Corporis mystici, de Corpore Ecclesiæ.* 6. Si sermo sit de Ecclesia visibili & multitudine profitentium, utique inanis est gloriatio Pontificiorum: cum multi sint inter eos, qui per tyrannidem iniquè detinentur: neque omnes illi habendi sunt pro professoribus veris, qui quoquo modo dici possunt de Ecclesia ut vult Bellarm. quis enim potest aliquid profiteri nisi illud intelligat? Quomodo autem intelliget si non doceatur? Quomodo verò docebi-

26

cebitur sine scriptura & lingua: non enim minus deest quod quis non habet, quam quod non intelligit; nisi per cæcam quandam obedientiam teneatur quilibet credere quodlibet: *Credere se, quod credit Ecclesia & Ecclesiam credere quod ipse*, decies interrogatus miser Idiota respondeat? Sanè de talibus non potest esse vera gloriatio, inter quos multi sunt, qui quærerent veritatem, animæ pabulum, excitati stimulo Conscientiæ; sed frænum est ipsis ipsorum Conscientiæ superequitans Clerus. Non est ergò ut amplius nobis objiciant Pontificii *Catholicismum* per *Amplitudinem*, quam ita sustulimus.

X X X I V.

Haecenus fundamentis *Catholicismi Pontificii* eversis, superest, ut si quis ex iis possit exurgere *Catholicismus*, illum nostrum esse potius quam Romanum ostendamus, idque retrogrado, incipiendo ab hoc ultimo. Non est necesse hic diu & nimis operosè laborare, supra enim ostendimus, *Amplitudinem non esse fundamentum Catholicismi Ecclesiæ*; Si quid tamen hic dicendum sit, dico: veros professores, in Ecclesia nostra Catholica plures reperiri, quam in Romana. Non quidem æquè de omnibus gloriandum: scimus enim Spiritum cuique dare, dona ut vult; Deus tamen per operationem Spiritus in verbo audito, efficit fidem in illis *ut credant sermoni, & credentes vitam habeant per nomen ejus*. At hic non est satis detestandum sacrilegium (*prohibere lectionem S. Scripturæ*) & carnificina conscientiarum (*imponere obedientiam cæcam*) apud Romanenses. Accedit quòd tempore Christi & Apostolorum frequentiores erant & numerosiores Synagogæ Judæorum & Phariseorum; nontamen *Catholicismo* gregem Christi pusillum præcellentes. Insignis est etiam Elenchus nominis *Catholici*; quod nobis non significat idem, quod ubique locorum est diffusum, quamvis in sua latitudine Ecclesiæ applicatum, dicamus intelligi debere eo, omnes fideles ad Adamo usque ad ultimum salvandum inclusivè; hic tamen cum sermo sit de *Ecclesia Vocatorum* ad communionem mutuam cum Christo, nomen etiam

Catholici eo significato debet applicari. Videtur hoc expeditum à D. Bannes in 2. q. 1. art. 10. *Vniversitas* inquit *Ecclesiæ dupliciter potest considerari, & ratione Materiæ, qui sunt fideles, ex quibus congregatur, & ratione Formæ, scilicet fidei. Ratione Materiæ est Catholica: non quia actu extenditur ad omnes angulos terræ; sed quia nullum excludit, omnes indifferenter vocat, omnes suis præceptis (quæ sunt Dei) obligat, & fortasse, quia successivè se ad omnes nationes extendet. Ratione formæ vel fidei universalis est —* Accedit, quòd nondum contigit illa felicitas N. T. ut Evangelium in omnibus orbis angulis prædicaretur: cum multæ adhuc sint terræ incognitæ; posteris fortè detegendæ & ut Costerus: *Antarcticis & qui remotissimas Americæ oras incolunt fides Christi nunquam innotuit.* Porro, mirum est Pontificios, *Catholicismum Ecclesiæ nostræ eludere volentes, amplitudine eum sibi allicere velle: cum si sola una provincia (verba sunt Bell.) retinuerit fidem veram, adhuc vere & clarè, diceretur Catholica; dum modo clarè ostenderetur, eam, unam & eandem cum illa, quæ fuit aliquo tempore, vel diversis in toto mundo, quam quia conditionem nemo Romanensium adhuc ostendit, gloriantur sanè de amplitudine, non tamen ex ea Catholicismum habent; manet enim ille vel penes unam provinciam veram Antiquorum fidem tenentem.*

X X X V.

Alterum fundamentum: *Convenientia cum Christo & Apostolis item confessorum inter se.* Prius nostræ potius Ecclesiæ quam Romanæ convenire, is non novit, qui nihil vel fando de nobis vel illis audivit: hoc est quod hætenus, Nostri omnes ad abundantiam usque ostenderunt in omnibus tractatibus *Elencticis, Dogmaticis, Historicis &c.* & supra aliquid etiam tentarum. Instituenti autem vel volenti collationem, conveniendum est in aliquo principio utrinque recepto, & talis est *Script. sacra* cui adhuc disertè ab iis non dictum est anathema. Assumo ergo & dico: Ecclesia, quæ in omnibus fidei capitibus cum Scriptura, Doctrinâ Christi & Apostolorum convenit, illi competit verus *Catholicismus*: Ecclesia nostra est talis.

E. Ma-

E. Majorem, negabunt contra se: ponunt enim hoc fundamentum Catholicismi Minoris examen cuique cordato permittimus. Videatur interim *Symphonia Cathol. Polani. Polemica Alstedii*. Manifestum tamen instituit parallelismum *Celeb. Voetius in Disp. causa Papatus lib. 3. sect. 7. Clar. Ames. in Bell. Enervato Tom. 1. lib. 3. c. 6. paucis. Idem in omnibus videre licet.*

X X X V I.

Vani ergò sunt Pontificii toties *novitatem & falsitatem nostræ Ecclesiæ* exprobrantes, cum eam cum Doctrina à Christo & Apostolis tradita hætenus ab eorum temporibus retinuerimus; sed hic in promptu est *except. Bell. lib. 4. de Eccl. Milit. cap. 2. Pura doctrina absque errore potest esse in falsa Ecclesia*; ubi tamen dixerit suam doctrinam esse puram, quomodo probabit Ecclesiam non esse falsam? Hoc tamen nos negamus & dicimus puritatem doctrinæ conjungendam esse cum sanctitate & pietate doctrinæ, quæ in falsa Ecclesia non reperitur, quam etiam ipse Bell. ponit notam Ecclesiæ, quamvis hæc ipsa doctrina ipsius de Ecclesia incompatibiliter huic notæ sit inimica. Clamitant iterum perpetuò nos defecisse à doctrina Christi & Apostolorum, quod ex nostris *Confessionibus Catechesibus & similibus* manifestò ostendi postulamus, alias criminatores se potius, quam veros accusatores arguunt. Recoquunt centies nostram Ecclesiam cœpisse cum *Luthero & Zwinglio*; cum tamen & hic probando deficient & ad justam Apologiam nostram obmutescant. Fuerunt hætenus multi insignes Viri quorum memoria est in reverentia, qui hanc calumniam masculè exploserunt, adstuentes veram Ecclesiæ nostræ antiquitatem cum victoria & gloria coram Deo & hominibus, quibus permanebunt insignia trophea donec fortiorem contra eos Pontificii non instruant armaturam. Petunt demonstrationem, *ubinam fuerit Ecclesia*? Respondere nos non tenemur: reddat rationem Pontifex qui eam der tyrannidem invadens extinguere moliebatur; regerimus
tamen

tamen postulamusque ostendi: ubi nam ante *Hildebrandum* dictum *Gregorium VII.* vel remotius ante *Bonifacium III.* fuerit Papatus? Non dicimus Ecclesiam fuisse in Papatu; sed potius *Papatum* irrepsisse in Ecclesiam, ut impleretur in Papa Rom. quod dictum est 2. Thess. 2. 4. εἰς τὸν ναὸν τῆς Θεοῦ ὡς Θεὸν καὶ Διόνυ. Inane est etiam effugium à denominatione per calumniam Ecclesiis nostris affricatâ: cum enim dicimus Ecclesiam nostram *Reformatam* vel *Protestantium*, intelligimus eam non hoc modo denominatam (vel ut illi affingunt *Calvinianam* & quid simile) & hoc titulo à reliquis Cœtibus distinctam; sed consanguinitatem ejusdem doctrinæ, professionem ejusdem fidei, quomodo etiam hodierna Papalis convenientiam jactat cum antiquâ, Apostolorum. Hoc constanter credimus, profitemur defendimus. Si velint, *proben?* dico: hætenus satis superque probatum, probatur in dies, petimus responsum; gratificor tamen petenti & dico: 1. Vera Christi & Apostolorum doctrina ab eorum temporibus sine interruptione mansit usque ad tempora nostrorum Reformatorum. Nostra doctrina quam in Ecclesiis credimus, confitemur, defendimus, est vera Christi & Apostolorum doctrina. E. Majorem, nemo negat: in Minore deveniendum ad collationem, quod cuique de Scriptura benè merito permittimus, scientes ex August. *non humanis documentis; sed divinis oraculis sanctam Ecclesiam demonstrandam esse*, de unit. Eccles. c. 3.

X X X V I I.

2. Doctrina Christiana, quæ modernæ Romano - Papalis Ecclesiæ dogmata in Conc. Trid. sancita definita, canonizata, rejecit, clam vel palam oppugnavit, illi contrarium docuit, fuit sine interruptione à temporibus Christi & Apostolorum, usque ad tempora Reformatorum; Nostra doctrina est illa. E. (Hic & Convenientiam cum Antiquæ Ecclesiæ Patribus & veram Antiquitatem cum Successione probo.) Quod ad Majorem. Tempus Apostolorum, per eosdem, damnavit doctrinam *prohibentem matrimonium* 2. Thess. 2. *precipientem cultum*

Disp. VII. Resp. STEPHANO ESZE'KI, Hung.
cultum Angelorum Col. 2. usurpantem dominatum Episcoporum
 1. Pet. 5. At hæc est Romano - Papalis. Post tempora Apo-
 stolorum tribus primis *Seculis* Patres Orthodoxi fide in solum
 Jesum Christum justificatos salvari credebant, (quod & nos)
 & hoc est rejicere merita Romano - Papalia. Ignatius ad Phi-
 ladelph. *Omnes itaque sancti quot quot unquam fuerunt per solum*
Christum sunt salutem consecuti. Iræn. lib. 3. c. 2. *Ita oportuit per*
obedientiam unius hominis — justificari multos & percipere salutem.
 Hieron. in 3. cap. ad Rom. *Convertentem impium per solam fi-*
dem justificat Deus, non opera bona, quæ non habuit. Item cap. 4.
 & 1. Cor. 1. *Hoc constitutum est à Deo, ut qui credit in Christum*
salvus sit sine opere. Eadem est sententia Ecclesiæ secundo - pri-
 mitivæ hoc est quarti, quinti & sexti *Seculi*; imò nihil obtinuit
 de meritis congrui vel condigni, nihil de *satisfactionibus superero-*
gatoriis, nihil de *indulgentiis* & similibus multis, vel conse-
 quentibus aliquot *Seculis*, tantum abest ut fuisset fides Catho-
 lica. Hic accingant se Pontificii & probent contrarium, modo
 fidei Catholicæ convenienti. August. de Spiritu & Litera cap.
 36. *Multum inquit ille in hac vita profecit, qui quam longe sit à*
perfectiōne justitiæ, proficiendo cognovit. Beda in Psal. 77. *Per*
justitiam paſtorum nullus salvabitur; sed per solam justitiam fidei.
 Carolus M. lib. 1. de Imag. cap. 5. *Non operibus legis, quæ fe-*
cerimus nos, neque volentes, neque currentes; sed ejus miseratione
salvamus. Imò ætate tertia, à *Seculo* nempe undecimo ad tempus
 reformationis fuerunt hujus veritatis confessores & contrariæ
 falsitatis everfores; quod ostendit Celeb. Gisb. Voetius se-
 lect. Disp. part. 2. sub tit. sup. cit.

X X X V I I I.

Desperatæ ergo Causæ indicium est hic *exigere nomina Con-*
fessorum nostrorum: cum jam & nomina & confessionem non
 paucorum protulerimus; hoc tamen addo: 1. Omnes illos
 Patres cum suis Auditoribus, Discipulis, Affeclis, qui, (1) à
 Nostreis citantur contra Pontificios, in nostra causa. (2) quos

G

pro

pro se facere adhuc non demonstrarunt contra nos. (3) Quorum apud nos & ipsos valet testimonium, dicimus nostræ doctrinæ confessores. 2. Omnia Concilia legitima, in quibus aliquod dogma modò Papale damnatum, & nostra confessio confirmata. 3. Omnes Confessiones. 4. Omnia Symbola. 5. Omnes Liturgiæ, hystoriæ Ecclesiasticæ. 6. Omnes Martyres veritatis, demonstrant nostræ doctrinæ confessores. Hic insurgant Pontificii & ex his militent pro se, contra nos.

X X X I X.

Seculo *Septimo Octavo & Nono* paulatim invalescebat Papatus; nihilominus non defuerunt, qui se ei opposerent. *Cultui Imaginum* opposuit se Conc. Constantinop. sub Leone Imper. decernens *adorationem Imaginum & cultum reliquiarum esse meram Idololatriam*. Item, sub Constantino Copronymo, in quo fuerunt 338. Episcopi denuò sancit, *Imagines neque habendas esse in Templis*. Synodus Francofurtensis sub Carolo M. constans 300. Episcopis, disputat in eadem causa, ut fuerit Anti-Synodus Nicænæ secundæ. *Potestati & Monarchiæ Papæ*, opposuerunt se non tantum Principes & Doctores Celeb. neque tantum Ecclesiæ particulares; sed etiam Nationales: Gallica per Hincmarum Rhemensem, Belgica per Episcopos suos, quod videre est apud Avent. lib. 5. & 7. Annal. *Clericorum Cœlibatui* opposuit se Clerus & Ecclesia Anglicana & Germanica. Reliqua recensere longum foret; videat qui volet Nob. Plessæi Myst. Inquit. & qui potest Celeb. Riveti in eum vindicias à Seculo Octavo ad Decimum.

X L.

Infelix *Seculum Decimum ut & Vndecimum* (quo nomine illud communiter appellatur) tanta tyrannide non potuit invehere Papatum quin multi eum non oppugnarint. Admiranda & adoranda Omnipotentis Dei clementia, qui præservavit multos, in ipsa etiam Ecclesia Occidentali, quos non exederet Anti-Christianæ tyrannidis tabes: ut hic non fuerit oblitus mone-

monere Card. Baron. Decimo seculo nullum indoctius & infelicius, erat illud sui asperitate & boni sterilitate ferreum — monet ne quid scandali pusillus animo patiatur, si quando videre contigerit abominationem desolationis in templo; sed magis miretur & cognoscat in ejus custodia divinam invigilare potentiam. Et ut Sigebertus: Plerique boni — dicebant tunc imperium Anti-Christi cœpisse. Quicquid sit; non tamen tam fuit infelix, ut fidem & Ecclesiam Christi abolere potuisset: neque alia fuit ejus tyrannis, quam prædictum est à Johanne Apoc. 11. & 13. Non cessit Papæ præda sine resistantia, cujus Monarchia & Primatui opposuit se Synodus Nationalis in Germania, Ecclesia Gallicana & Britannica. Anno 1088. In Synodo Moguntina Imperator & Proceres Sectam Hildebrandi explodunt, quæ directè contra ipsum erat convocata, non minus quam Synodus Wormatiensis in qua Henricus IV. & 26. Episcopi censent, eundem deponendum: Idem etiam ab Episcopis Germaniæ & Italiæ Anti-Christus damnatus est. Avent. loc. cit. Ex quibus manifestum est, fuisse Ecclesiam Christi etiam in Occidente quæ non erat infecta peste Anti-Christi. Atque hi omnes quos recensuimus extra Papatum, iique Doctores, Principes Episcopi & reliqui Orthodoxiæ Primates, Ecclesiæ, Nationes. Amplius dico: fuerunt etiam in meditullio Anti-Christianæ tyrannidis qui eam non plenè amplexi sunt, quos dicimus vel Gementes sive gementium instar (ut Ezech. 9. quos Dominus suo signo jubet notari) quos etiam nostræ Ecclesiæ cives agnoscimus: vel Fastidientes & Contemnentes: vel Seductos & Coactos vel Ignorantes quos in Dei misericordia relinquimus non tamen omnes Papistis accensemus: vel Separantes, qui in conventiculis & ædibus privatis, speluncis & latebris larentes abominabantor amplecti Papismum. Atque hi omnes in Occidente, quid verò de Ecclesiis Orientis, Græcis & aliis, quæ errores Papatus sirenue oppugnarunt, masculè rejecerunt, & hodie idem faciunt, quare etiam à Papa pro Hæreticis habentur. Quod autem hæc, fuerit nostra Ecclesia & Doctrina, (quod in Minore Syllogismi assumitur) patet ex eo quod non fuerit Judai-

ca, non *Ethnica*, non *Mahummedana*, non *Hæretica*, *Arriana* vel quid simile, quia à nemine damnata est *Hæreseos*: non etiam fuit *Papistica*, quia illius causam oppugnabat: ergò dicendum restat fuisse *nostram* Ecclesiam, quam ita in *Convenientia* cum *Apostolis* & *Patribus Orthodoxis* permansisse ostendimus, fufius hoc probare metus prolixitatis vetat.

X L I.

Atque hætenus Ecclesiam deduximus per *undecim Secula*: Hinc, ad tempora usque reformationis in *Berengario* & ejus *Discipulis*, *Waldensibus* sive *Albigensibus* & eorum posteris, *Ecclesiis Bohemicis*, universitatibus & horum omnium gestis factis, tam clarum est ut etiam hostes *Orthodoxiæ* agnoscere cogantur: unde etiam gravissimæ persecutiones exortæ sunt: Causa fuit, quòd sedi *Romanæ* sese opposuerint: quòd in fastum & vitia *Pontificum* liberius inererentur: dicerent *Romam* à *pristina fide* defecisse &c. quæ refert *Thuanus* lib. 6. *Hist.* ad an. 1550. Atque ex eo orrum duxit bellum illud sacrum, & sacrilega veritatis *Euangelicæ* persecutio *Sacræ Militiæ* vocabulo ornata est. Sensere hoc non tantum tenuioris fortunæ homines *Waldenses*; sed etiam *Principes Illustres* & *Episcopi*: maduit terra sanguine *Christiano*, cæsis innumeris *Christianorum* myriadibus: *Respublicæ* turbatæ, familiæ dissipatæ & plurimi *Celebres Episcopi* excommunicati sunt, qui vicissim in *Papam* eandem retorserunt sententiam. Atque in his motibus enata est *Aurifodina Romana*, quæ per licentiam *Indulgentiarum* & doctrinam *Purgatorii* pro condigno operum merito, illimitatâ *Papapotentiâ*, in cultu religioso *Imaginum*, adstantibus ad persequendum nomen *Christianum* conscriptis militiis, singulari industria excoli cœpit. Dum hæc *Innocentii* tempore agerentur, mox post ejus tempora sequuti sunt ejusdem *Dominatus* hostes, posteriores nempe priorum: *Johannes Wiclefus* cum iis qui ab eo denominati sunt ab *Adversariis in Anglia* & *Johannes Hussus* cum suis in *Bohemia*. Item *Hier. Pragensis* his vivi comburio sublatis, in *Concilio Constantiensi*, fractâ fide, in salvo con-

conductu datâ, sancitur decretum, de *fide Hæreticis non servandâ*, eorum posteri usque ad *Lutherum* constanter perstiterunt. Atque per hæc, paucis ostensa nostrâ *Convenientiâ* cum prioris & purioris ævi *Patribus*, *Antiquitate* & *Successione* legitimâ, Ecclesiam nostram adhuc novitatis & falsitatis arguere, nihil est, quam insigniter calumniari.

X L I I.

Quantum ad alterum *Convenientia* membrum: quomodo illud conveniat vel non conveniat Pontificiis supra dictum est; dico tamen, illud etiam meliori jure *Nostre Ecclesie* convenire, 1. *Ratione originis*: Pontificii conveniunt sub tyrannica Papæ coactione, cujus cerebro omnem suum sensum manciparunt, ut non convenientia; sed cæca quædam dicenda sit obedientia: Nostre autem Ecclesie & nostri omnes conveniunt per unum Spiritum, habentes unum Regem Christum, cujus legibus gubernantur: eandem spem & charitatem, eandem fidem, idem exemplar cœlestē, unum cultum in spiritu & veritate, unam communionem: & hæc est vera Ecclesia unitas inquit Bannes in 2dam 2dæ q. 1. art. 10. *quæ includit omnes fideles ab initio mundi usque ad finem.* 2. *Ratione fundamenti sive finis.* Pontificii conveniunt sub spe ampliandæ Ecclesie Anti-Christi & metu desolationis regni Babylonici, quod etiam est in Ecclesia Satanæ Mat. 12. Nos autem in exstruenda Domo Dei, ut quisque adferat id & tantum, quod & quantum, si vel *pilos camelinos* &c. possit: ut ædificemus super *fundamentum* quod positum est, nempe *Jesum Christum*, & quidem ita, ut laudem consequamur. Pontificii ad evertendum nomen eorum qui fidem Christi profitentur; non minus ac *Pilatus* & *Herodes* quamvis ante inimicissimi, in morte Christi: Nos autem tanquam membra sub eodem Capite Christo, in tollerandis afflictionibus, quibus obnoxia est Sponsa Christi, sicut *lilium inter spinas*: ut fructum feramus per patientiam.

X L I I I.

Neque est ut quis *objiciat particulares & leviculas quas dissensiones*: non enim sunt tales quæ faciliè componi non possent: neque in essentia doctrinæ: cum supra ostensum sit Pontificios in principalioribus dogmatis sui articulis plurimum dissentire: *Secta contra Sectam; Ordo contra ordinem: Papa contra Papam.* Convenimus Dei gratia in tuenda veritate religionis & salvâ conservandâ fide, non minus ac Nautæ tempestate exortâ in mari, quisque eorum facit in navi quod suum est, sanè non omnes eidem intenti negotio, sed pro re natâ variis; omnes tamen in eadem navi & pro ejusdem navis incolumitate. Porro si quid de hac *Convenientia* & ei oppositâ *Dissensione* dici potest, dico: illam non esse *fundamentum Catholicismi Ecclesiæ*, ut neque hanc *Anti-Christianismi*, vel tantum *Hæreseos*. Potest namque esse convenientia in Errore, Hæresi, Idololatria & similibus, quod in sacerdotibus Baalis manifestum est 1. Reg. 18. & dicuntur omnes magni & parvi pariter Anti-Christum sequuturi Apoc. 13. 16. Et dissensio potest esse in Ecclesia Christi; salvo tamen ejus *Catholicismo* Act. 11. 2. & Discipuli sæpè contendebant de Primatu: an ergo fuerunt vel Anti-Christiani, vel Hæretici? Non minus fuit etiam dissensio inter multos Patres & convenientia inter Hæreticos: ita si quæ sit in nostris Ecclesiis diversitas non magis eas falsas esse ex ea, quam ex convenientia sub Anti-Christo & Satana veram Ecclesiam, concludi potest.

X L I V.

Reliquum est, ut, quod ordine primùm positum est *Catholicismi Ecclesiæ fundamentum* ultimò tandem pro nostra Ecclesia facere ostendatur. Notum est toti Orbi Christiano nos non agnoscere ullum præter solum *Jesum Christum Caput Ecclesiæ* quem à Deo Patre dicimus cum Apostolo, constitutum, ipsum *fundamentum Ecclesiæ* & neminem aliud ponere posse 1. Cor. 3. quod in omnibus Loc. Com. scriptoribus abundè probatur & supra ex refutatione sententiæ contrariæ patet; hoc tamen,
quod

quod ad institutum pertinet addo: meliori jure penes nos est Catholicismus ex hoc fundamento, quam penes Pontificios; Papâ Romano ut Capite Ecclesiæ gloriari assuetos. Quod sic probabo: Cujus Ecclesiæ fundamentum est æternum, unum, firmum immobibile, à Peritissimo & Sapientissimo Architecto positum, illi Catholicismus, meliori jure & omni competat, præ illâ, in cujus fundamento hæc omnia desiderantur. Atqui nostræ Ecclesiæ fundamentum est æternum &c. E. Major est verissima: ut si Catholicismus, ratione Capitis vel fundamenti conveniat Ecclesiæ, utique illi conveniet Ecclesiæ, cujus tale est Caput & tale fundamentum, quale modo diximus; illud autem est solus Jesus Christus, cui hæc omnia in Scripturis manifestè & soli tribui omnis oculatus videt; quare probare supersedebam, neque quæ supra dicta sunt hic repetam. Et hæc ex instituti ratione de Catholicismo Ecclesiæ dicta sufficiant.

C O R O L L A R I A.

1. *Vocatio Primorum Reformatorum non est illegitimata, neque Ministri Reformati exciderunt suo Ministerio per Excommunicationem Papæ aut Concilii Tridentini.*
2. *Calumnia est Schismatis vel Hæreseos incusare Ecclesias Reformatorum, quod deseruerint communionem Romano-Papalem.*
3. *Ecclesia Laborans in Purgatorio, nulla est.*

L. B. Monendus es, in his Thesis citari *Ius Canonicum* editum Colonia An. 1661. & *Vindicias* Celeb. Riveti pro Nob. Pleßæo ex fide Celeb. D. Gisb. Voetii, citantis in *Desperata causa Papatus*: verba ejus non referri, eo quod Gallicè tantum (quod dolendum) existent. Errata: ut §. VI. l. 15. inhærimus pro inhæremus §. VIII. l. 12. pluriis pro plurimis. §. X. l. 1. ne etiam pro non etiam, ut & reliqua, non est quod censeas; sed tollas. V.

IN HONOREM
Doctissimi Iuvenis,
D. STEPHANI T. ESZEKI,
strenuè Disputantis.

*R*oma Caput sedis, quâ sancta Ecclesia Christo
Stat: *Vetus in Latio hæc fabula clara fuit.*
Roma Caput Mundi licet est; non Religionis
Est Caput: *In Christo statque vigetque Fides.*

Amicâ mente manuque approperabat
JACOBUS C. CSUZI, Ung. S. S. T. C.

Applausibile ex amoris voto profectum.

*H*ic Christi Miles galeâ munitus & ense
Nunc effundit opes divitis ingenii.
Scriptura tractat Mytheria, testibus istis,
Romani monstrat vulnera magna gregis,
Nitere, sufficiet validas in corpore vires
Ipse Deus, menti nobile lumen erit.
Pergito sic Juvenis multos perferre labores
Sis terris clarus, charus itemque Deo.

Super Aram bonæ memoriæ ac famæ litabat
STEPH. K. DIOSZEGHI, Ung.

Honori Ejusdem Sacrum.

*Q*Uæ sit *Vera, Vetus, Doctrina, Ecclesia, Christi*
ESZEKI ingenii dexteritate probat.
Cingere Romanis solis hanc Mœnibus audet
Papa, Caput solus Sponsus & esse cupit.
Nunc igitur Romana Cohors exi Babylone
Quam tam polluto culmine Papa regit.

Sacratum

à MICH. SZ. NEMETHI, Fratre Syncero.